

6656

8

py 1

.2003 PH 7.5 TO 9.5 PAT

6656
08
opy 1

6656

II 8

DE

CATILINÆ SALLUSTIANI FONTIBUS AC FIDE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM


SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM IN ALMA LITTERARUM
UNIVERSITATE BERNENSI RITE IMPETRANDORUM CAUSA

SCRIPSIT

VITAM SUAM PRÆMISIT

HENRICUS DÜBI.

BERNÆ
TYPIS C. STÆMPFLII,
MDCCCLXXII.



DE

CATILINÆ SALLUSTIANI FONTIBUS AC FIDE

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

SUMMORUM IN PHILOSOPHIA HONORUM IN ALMA LITTERARUM
UNIVERSITATE BERNENSI RITE IMPETRANDORUM CAUSA

SCRIPSIT

VITAM SUAM PRÆMISIT

HENRICUS DÜBLI.

BERNÆ
TYPIS C. STÆMPFLII,
MDCCCLXXII.

PA⁶⁶⁵⁶
II8

Natus sum a. d. VII. Kal. Dec. anno h. s. 48 Bernæ patre Karolo matre Karolina e gente Weltin, quos cum ob cetera in me beneficia tum quod quamquam opibus domesticis non admodum instructi tamen diligentissime et ultra ipsorum vitæ condicionem educari me voluerunt grato pioque semper colam animo. Fidei addictus sum reformatæ. Elementis litterarum in ludo imbutus gymnasium huius urbis adii ubi per sex annos disciplina usus sum magistrorum doctissimorum quorum e numero duo præ ceteris mihi nominandi sunt viri, Karolus Hagenus et K. Pabstius. Alter cuius præmatura mors magno me affecit dolore studium historiæ auctoritate sua mihi commendabat aditumque expediebat, alter qua ratione litteræ antiquæ cum monumentis quæ scripta extant linguæ vernaculae iungendæ sint ad animos moresque adolescentium erudiendos atque excolendos illustri docebat exemplo. Disciplina usus et horum virorum et aliorum quos ne putetis velim parui me æstimare eo quod enumerare omnes longum existimavi, vere anni LXVII. Academiæ Bernensis civibus ascriptus sum theologiae operam navaturus. Ad quam quum sentirem me minus factum esse ad philosophorum ordinem nomen meum detuli philologiæque iam diu mihi probatæ totum me dedi. Scientiam linguæ Hebraicæ quam e Studeri V. D. disciplina ad novum hoc studium mecum ferebam privata diligentia retinere conabar et operam per duo annos in cognitione linguæ Arabicæ collocabam magistro usus Sprengero viro mea laude maiore.

Has litteras cum studiis antiquitatis ad quæ per se non pertinent coniunxi ut quæ sit linguarum quas appellamus Indo-Germanicarum propria natura ac virtus comparatis Semiticarum legibus melius perspicerem. Præterea ad historiam et philosophiam incubui sed ita ut secundarium locum iis destinarem, philologiae litterarum græcarum et latinarum primas adtribuerem partes et ab ea proxime accedere iuberem studia in linguam vernaculam et scriptores nostrates collata. Horum studiorum specimen ab amplissimo philosophorum ordine universitatis Bernensis anno h. s. 68 probatum mox in lucem edam. Paucitate sodalium qui tum, ut est exiguis civium Academiæ nostræ numerus, erant in seminario philologico factum est ut statim ab initio illorum exercitationibus ita interessem ut sodalis ordinarii fungerer officiis. Præterea scholis usus sum Rettigii Hagenorum patris et filii, Knausi, Risi, Hebleri, Trächseli, Pabstii, Tobleri, Winkelmanni, Hidberi. Quos cum omnes optime de me meruisse grato confiteor animo tum non habeo quod satis laudem Rettigium virum omni et doctrinæ et humanitatis laude ornatissimum qui magis amicum quam discipulum semper me habebat. Sic tres annos Bernæ commoratus sum.

Venit deinde annus h. s. septuagesimus posteris imprimis memorabilis quem contigit mihi degere in Germania. Vere huius anni contuli me Lipsiam ibique scholis interfui Ritscheli de grammatica Latina, G. Curtii de linguis inter se comparatis, Brockhausii de lingua Sanskrita, Krehlii de grammatica Arabica docentium. Zarnkium audivi de carminibus Wolframi de Eschenbach interpretantem, Overbeckium de operibus artificiosis quæ ad mythologiam Græcam pertinent disserentem. Praeterea societatis archaeologicae cui idem praest V. D. sodalis eram dum bellum subito ortum dispersit nos. Vidi tum eosdem iuvenes aetate florentes qui mecum artibus liberalibus se dabant armis horridos in hostem ruere, eodem animi fervore et constantia qua ad studia incumbere soliti erant hostem a finibus patriis

repulsuri et sub mœnia Lutetiæ Parisiorum uno eodemque impetu profligaturi. Ego autem cui militare non obvenit inter arma silere non passus sum Musas sed tantarum rerum expectatione valde commotus nihilo minus Lipsiæ, Dresdæ, Vimaro studiis placidioribus operam navare perrexi. Inde hieme ineunte Berolinum profectus doctoribus usus sum Droysono historico Kirchhoffio Steinthalo philologis, Trendelenburgio philosopho E. Curtio archaeologo. Præterea copiis librorum et operum artificiosorum quæ proposita sunt in bibliothecis et museis, ut in re recenti utar hoc vocabulo, regiis nec minus delectamentis quæ theatra præbent utut potui usus sum. Vere huius anni domum reverti paucos dies Monachi commoratus ut monumenta artium et veterum et recentium accuratius inspicerem.

Dabam Bernæ a. d. V. Idus Iun. MDCCCLXXI.

C. Sallustii Crispi in enarranda Catilinæ coniuratione fidem atque auctoritatem cum antea tum maxime, ex quo Drumannus, vir sagacissimus, eam perscrutandi initium fecit, a multis accuratius investigatam esse, eo minus mirari debemus, quod præter illum librum nullius historici temporibus illis æqualis huius rei monumentum sæculorum iniquitate nobis relictum est, Cicero autem ut orator et inimicus Catilinæ secundarius tantum testis adhibendus videbatur. Magnum igitur erat et ad studium rerum Romanarum utilissimum cognoscere, num etiam certus esset auctor qui fere solus est. Sed in iudicando illud semper tenebant viri docti, quod ipse dicit scriptor, agere se, ut de coniuratione Catilinaria quam verissime paucis absoluens facinus imprimis memorabile tradat posteris (cap. 4. § 3—4). At accuratius inspicientem fugere non potuit, illum, si vere hanc rationem secutus esset unam, longe abesse, ut propositum suum assecutus esset nosque, nisi Ciceronis orationes et Graecorum narrationes cum eo conferre possemus, gravis illius in civitate Romana seditionis scientiam neque magnam neque satis rectam habituros esse. Alio modo alias hanc miram sane rem explicare studuerunt. Drumannus (hist. Rom. vol. V, p. 441) monet, paucis se de ea re absoluere velle ipsum profiteri Sallustium (l. l.) eaque illum referre prætermisisse putat, quæ minus gravia iudicauisset. *Kritzius* (edit. a. 1856, pag. 21, proleg. c. II) operis brevitatem peculiari consilii quod secutus sit scriptor ratione defendi putat, quum propositum habuerit, ut ruentis rei publicæ causam in corruptis civitatis moribus positam esse illustri exemplo doceret et quid depravato rerum statu fieri necesse fuisset fœditate patrati facinoris demonstraret. *Dietschio* (In script. acad. quam 1856 Grimmæ edidit de Sallustii in perscribendo Catilina consilio) tempora postulasse videntur, ut Sallustius ea, de quibus homines rectius iudicare vellet evolgare maturaret; qua re eum prohibitum esse quominus singula, quæ eo tempore facta erant accuratissime et plenissime enarraret. Sed idem vir doctus recte sensit, his rationibus non omnem difficultatem tolli. Assentit igitur (l. l. et edit. in us. schol. præf.

§ 23 seq.) Theodoro Mommsenio censenti (hist. Rom. v. III, p. 177 ann.) librum apologeticum esse pro C. Cæsare, qua ratione, si non omnia, tamen plurima, quæ offendunt componuntur. Simile quid exco-gitaverat Hagenus (libri qui inscribitur Catilina, ed. Regim. a 1854, p. 10 seq.), quum putet Catilinam scriptum esse oppositum Marci Bruti de laudibus Catonis libro.

Sed non solum deesse multa viderunt viri docti, quæ digna erant memoratu et ad veram coniurationis cognitionem necessaria, sed inesse in iis, quæ traduntur nonnullos haud leves errores. Drumannus (l. l. p. 444) iam intellexit, temporum ordinem a Sallustio non semper servatum esse, Hagenus (l. l. p. 7—9) demonstravit levitatem, qua defensor causæ Cæsareæ incusaret Pisonem et Catulum (c. 49), viros ut factiosos ita honestos, ad negligentiam, qua plures homines attin-geret, de quibus postea aut pauca aut nihil amplius dictum legeremus; præterea sæpe rationem, qua se exciperent res, velut dedita opera perturbatam esse. Linkerus (act. acad. litt. Vindob. vol. XIII. fasc. 2, p. 263 seq.) rectum temporum rerumque ordinem in cap. 26—32 audacissima verborum transpositione restituere conatus est. Kritzius, (l. l. prol. c. II, p. 22) quod S. nonnullis locis iustum rerum pro-gressum non accurate observaverit, in aliquo vitio esse ponendum non potest non concedere. Dietschiüs (l. l.) existimat auctorem si accuratius in res inquirere, si diligentius, quæ scripta edita erant, perscrutari, si maiorem operam in singulis recte et ordine enarrandis collocare voluissest haud paucos errores vitaturum fuisse. Halmius quoque (ed. orat. Cic. a. 1863 præf. et annot.) et Madvigius (ed. orat. Cic. select. præf.)¹⁾ nonnihil attulerunt ad corrigendam Sallustii narrationem. Sed proprius ad finem rem perduxisse existimandus est J. Wirzius (Catilina's und Ciceros Bewerbung um den Consulat für das Jahr 63. Zürich 1864), qui argumentis firmissimis docuit, pleraque eorum, quæ S. de Ciceronis et Catilinæ petitione consulatus a. a. Chr. n. 64 facta exponeret, cum per se parum probabilia videri tum Ciceronis Asconiique testimoniis falsa esse ostendi. Teuffel denique neque haec iudicia impugnavit et oratio-nes, quæ extant in Catilina non maiorem fidem habere quam alias apud veteres historicos servatas persuasit. (Ueber S. und Tacitus. Tübing. 1868, p. 19.)

Ex iis, quæ præcedunt, hoc certe apparebit, qui florentissimus dicatur, non eundem esse certissimum rerum Romanarum auctorem

¹⁾ Quos antecesserat Orellius in editione Catilinæ Sallustiani iuncta cum ora-tionibus Ciceronis Catilinariis. Turici 1840.

iisque, quæ referat de coniuratione Catilinæ, prudenter uti debere criticos. Hoc iudicium omnibus probari puto qui ea de re egerunt aut cogitarunt. Nostrum videtur singulis quibusdam locis Sallustii narrationem cum Cicerone recentiorisque ætatis scriptoribus et Græcis et Romanis collatam emendare et amplificare. Nonne igitur supervacaneum opus suscipio Catilinam de integro tractaturus, præsertim quum vix quidquam habeam, quod novi iis addam, quæ ante me a viris doctis et animadversa et reprehensa sunt? At non sane, ut res centies dictas repetam, ad initium itineris reversus vestigiis præcedentium ingrediar, sed sperans fore, ut ad terminum perveniam, quem non assecutos illos substitisse puto. Moverunt me duæ causæ, ut studiorum diu in hunc auctorem collatorum testimonium aliquod ederem. Videre mihi visus sum eos, qui ante me idem aggressi sunt, postquam omnia, quæ ad rem decernendam necessaria sunt, argumenta magna cum industria undique conquisita doce et sagaciter ordinaverunt atque composuerunt, concludere ea non esse ausos, veritos, nisi fallor, ne de Sallustii auctoritate iniquius iudicare cogerentur. Comparabant quidem Sallustium cum Cicerone, Plutarcho, Dione, Appiano aliis, docebant, quum non inter se congruere intellegebant auctores, utri magis confidendum esset, sed raro exposuerunt, quomodo hæ differentiæ explicari possent et qua ratione omnino Sallustii historia cum Ciceronis orationibus aliisque scriptorum æqualium narrationibus coniuncta esset. Præterea non habemus commentationem qua omnia hucusque de Sallustii in perscribendo Catilina consilio fide fontibus a viris doctis disputata in unum contrahendo communis quædam de eo scriptore iudicandi norma regulaque constituatur. Nam Hageni commentatio bonæ frugis plena, quia ante hos XVII annos scripta iam obsolevit, sufficere nobis non potest et Wirzii libellus doctissimus et sagacissimus exiguum tantum totius coniurationis partem comprehendit. Hoc fit ut, quod sane mirum est, historicum, de cuius fide singulis locis valde dubitemus, tamen universe gravem certumque auctorem haberi videamus. Quam ob rem non timeo ne inane quid facere videar, quod prima in re litteraria stipendia meriturus mihi proposui de Sallustiani Catilinæ fontibus fide consilio quam accuratissime potero disputare, sed spero id fructui fore studio et rerum romanarum et Sallustii, cuius apud omnes famam tantum abest ut diminuere velim, ut, qua ratione servari et defendi possit, etiamsi plura ab illo contra veritatem dicta inveniamus, diligenter docturus sim. Superest, ut, quomodo huius investigationis partes ad consilium meum disponam, breviter explicem. Primo igitur capite agendum nobis erit de fontibus, a quibus Sallustium

rivos suos aut deduxisse sumamus aut deducere potuisse putemus, secundo, quomodo his fontibus ad describendam Catilinae coniurationem usus sit disseremus, tertio denique capite¹⁾ quo consilio quibusque auxiliis eam quam videmus libri formam atque ordinem compararit quidque de eius natura virtuteque iudicandum sit exponemus.

¹⁾ Caput I et II hoc libello continentur, tertium dissertatione de Plutarcho Appiano Cassio Dione harum rerum auctoribus adiecta quam primum potero edam.

Caput primum.

Quærentibus de fontibus Sallustianis non paruam nobis facit difficultatem, quod ille, quum non suis ipsius copiis contentus tantum opus incepisse credendus sit, nusquam quantum ceteris, qui ea de re egerant, debeat, quantum ipse ad illam conformandam attribuerit, diserte dicit. Liceat igitur indiciis ex ipso aliisque acceptis, quos secutus esse auctores videatur, prima huius capitinis parte disputare.

Cap. 6 in. hæc legimus: Urbem Romam sicut ego *accepi* et q. s.

Accepisse id Sallustium ex libris eorum, qui res romanæ narrantes ab antiquissimis urbis temporibus incepérunt, in quibus fuit M. Porcius Cato Censorius, iam per se veri simile est. Accedit quod Servius ad Verg. Aen. I, 6 testatur de condenda urbe auctoritatem Catonis secutum esse Sallustium in bello Catilinario. Aliis quoque locis et nimis Catonem Sallustium imitatum esse viderunt et notaverunt iam veteres, Cæsar Augustus (Suet. c. 86) Q. Asinius Polio (Gell. N. A. X. 26 cf. Suet. de gramm. 10), Lenaeus Cn. Pompeii L. (Suet. de ill. gr. 15), auctor nescio quis inepti illius epigrammatis, quod legitur ap. Quint. VIII. 3, 29. cf. Dietschii edit. schol. p. 21, n. 7.

Cat. 31, 6. Tum M. Tullius consul — *orationem* habuit luculentam atque utilem rei publicæ *quam postea scriptam edidit*. Intellegitur oratio prima Catilinaria, qua Sallustium usum esse, cum scriberet Catilinam, videbimus infra.

Dicit deinde S. de *senatus consultis decretisque*, quæ in tabulis publicis servata aut euulgata inspicere potuit, hisce locis: 29, 2. 30, 3. 6. 7. 36, 2. 3. 42, 3. 47, 3. 48, 6. 50, 4. 1. 53, 1. commemorantur etiam *litteræ* in senatu recitatæ ab iis, quihius adlatæ erant. 30, 1. 34, 3. 44, 4. cf. 47, 3.

Denique, quæcumque per totum id tempus ad senatum relata nuntiata mandata erant, omnia in curia et dicta et acta, quæ enumerare longum est in *tabulariis* abdita servata esse putamus (cf. Bekker —

Marquardt Röm. Alterth. I. S. 31 s.); sed faciliora certe aditu erant *exempla* interrogacionis Allobrogum et coniuratorum, quæ Cicero consul scribenda et edenda curaverat, qua de re videoas orat. pro Sulla § 41 seq.

Ex sermonibus hominum atque fama nonnulla se repetere fateatur S. locis, quos si inspexeris, quomodo ille de rebus paulo incertioribus iudicare soleat, iam nunc videbis. Sunt hi fere: 14, 7. 15, 2. 17, 7. 19, 4. 22, 1. 3. 24, 3. 43, 2. 48, 7. 8. 9.

E memoria se exponere de Cæsaris et Catonis vita moribusque ipse dicere videtur verbis, quæ extant 53, 6 «set memoria mea»; quum opposita videantur vocabulis præcedentibus, *legenti audienti sciebam cognoveram*. — Et de his et de aliis hominibus rebusque multa S. habuisse, quæ narraret, mirari desinemus, si nobiscum reputamus eum natum a. Chr. a. 86 tum adolescentem fuisse annorum viginti duo omnisque coniurationis condicionem ipsum perspicere et cognoscere potuisse.

Sed ex aliis quoque fontibus haurire ei licuisse scimus. Ciceronis orationes consulares, quæ materiem continent historiæ coniurationis Catilinariae scribendæ, editas esse a. u. c. 694 apparebat ex ep. Cic. ad. Att. ipso hoc anno data (lib. II. ep. 1, § 3.). ante consulatum habita est oratio, quæ dicitur in toga candida, in consulatu præter Catilinarias illæ de lege agraria et pro Murena, post consulatum Flacciana Sullana, Planciana, Sextiana, Cæliana, Corneliana, Calpurniana, in quibus omnibus Cicero de Catilina eiusque facinore multis paucisue disserit.

Orationi Ciceronis in toga candida habitæ contumeliose respondisse Catilinam et Antonium competitores narrat Ascon. (p. 526 O.) «quod solum poterant inuicti in novitatem eius. Feruntur quoque orationes nomine illorum editæ non ab ipsis scriptæ sed a Ciceronis obtrectatoribus.» Talesne iam Sallustio notæ esse poterant? novit sane eas Quintilianus IX. 3, 94. cf. etiam Appian. II. 428. Bis certe eandem rem, in quam Ciceronis competitores inuicti esse dicuntur, significat S. (23, 5. 6. 31, 7) eamque illi invidiae fuisse monet. Lucceii cuiusdam in Catilinam inyictiuas scriptas legit Asconius (ad or. in t. c. p. 525 O.)

Ex libris per hoc tempus scriptis non minus comperire nonnulla potuit S. ad formandam ornandamque historiam. M. Brutus in libro, quem edidit de laudibus Catonis paulo post illius mortem multa neque satis iusta et vera, ut iudicavit Cicero (ad Att. XII, 21) de senatu Nonis Dec. M. Tullio C. Antonio cos. habito posteris tradiderat. Hanc laudationem ante oculos habuisse Sallustium quum scri-

beret illam operis partem probare conatus est Hagenus, quam ad rem infra recurremus. Ex eo sane id concludere non debebat vir doctissimus, quod uterque scriptor Ciceronem «optimum consulem» appellat (cf. Sall. 43, 1 c. Cic. I. 1. De Bruti libello v. Suet. Aug. c. 85).

De rebus in consulatu suo gestis et de summa republica miserat Cicero ad Cn. Pompeium in Asiam epistulam, ut annotat schol. ad Planc. § 58 «non mediocrem sed instar voluminis scriptam», quam etiam aliis innotuisse comperimus ex or. pro Sulla § 67.

De eadem re et Ciceronem et Atticum commentarios græcos scripsisse legimus (ad Att. II, 1, 1.); quin etiam ille hexametris latinis oppressam Catilinæ coniurationem prædicavit, de quibus v. Quint. XI. 1, 24, quamquam non dixerim hos versiculos multum adiuuisse historicum in comparando opere.

Contra, quem adhuc habemus, Q. Ciceronis de petitione consulatus libellus de vita moribusque Catilinæ Antonii aliorum nonnihil afferebat auctori, cui de illis sæpe dicendum erat.



Caput secundum.

Non pauca igitur erant auxilia quibus uti licuit Sallustio ad enarrandam Catilinæ coniurationem. Nunc quum, quod iam per se verisimile est, ex inspecto libro appareat auctorem operam præcedentium non eodem modo adhibuisse omnium, quem maxime quoque loco secutus sit quidque ex suo addidisse videatur explicandum est. Singulas quas narrat res, eodem ordine quem ille servato, pertractemus collatis iis quæ apud alios tradita invenimus, non id agentes, ut historiam coniurationis Catilinariæ totam et integrum conformemus, sed ut quantum Sallustius ad memoriam eius servandam attulisse putandus sit videamus.

Proœmium quod præmittit auctor libello qua ratione coniunctum sit cum summa totius operis alio videbimus loco.¹⁾ De similitudine quadam cum Catone origines incipiente cf. Jordani prol. ad Cat. XXV. et fragm. 2.²⁾ In ea quæ sequitur excursione historica (c. 6—13) de origine urbis Romæ hæc dicit Sallustius:

Urbem Romam sicut ego accepi condidere atque habuere initio Troiani — cumque eis Aborigines —. Hi postquam in una mœnia convenere — incredibile memoratu est quam facile coaluerint.

Solum esse scriptorum quos habemus nos rerum Romanarum Sallustium qui hanc urbis originem referat annotat iam Niebuhrius Hist. Rom. v. I. p. 236. Apud Servium ad Aen. I. 6. hæc legimus: «Cato in originibus hoc dicit cuius auctoritatem Sallustius sequitur in bello Catilinario primo Italianam tenuisse quosdam qui appellabantur Aborigines, hos postea adventu Aeneæ Phrygibus iunctos Latinos uno nomine nuncupatos.» (Jord. p. XXXII seq.)

¹⁾ De quo diximus supra pag. 4, annot.

²⁾ Cum cap. 3 § 2 Dietschius (ed. schol. p. 44 nota) confert Thucyd. II. 35. ὅτε γὰρ ξυνειδοὺς καὶ εὑρούσι κτλ.

Horum verborum tanta est similitudo, ut mihi quidem dubium non sit quin S. hoc loco ex originibus Catonis excerpserit. Recte autem Dietschius aliam de urbis origine sententiam habuisse Catonem ex eo concludit quod alio loco secutus Fabium Pictorem, ut testatur Dion. Halic. I. 79 (fr. 15), Romulum et Remum Romanam condidisse narret. Sallustius Catonis auctoris verba leviter perfecta falso reddidisse sumendum est, quum suam ipsius sententiam eum expromere voluisse vix credas.

Transeamus ad ea quæ S. de coniurationis consilio et sociis, imprimis de C. Catilina ipso tradit cap. 5.

Eandem fere ingenii et morum Catilinæ imaginem descriptis Cic. passim. maxime locum qui extat pro Cælio § 12. 13. Sallustium ante oculos habuisse quisquis utrumque contulerit vix erit quin concedat. Similia invenies apud Cic. in Cat. I, § 26. II, 9. III, 16. 17.

Inopia rei familiaris eum oppressum fuisse testatur etiam Q. Cicero de petit. cons. § 9. «educatus in patris egestate», cf. Cic. in Cat. I, § 14.

De vita Catilinæ congruentia cum Sallustii narratione legimus apud alios huius temporis auctores.

Sall. c. 5, 2 huic ab adulescentia bella intestina cædes rapinæ discordia civilis grata fuere ibique iuuentum suum exercuit.

Sall. c. 15, 1. Jam primum adulescens multa nefanda stupra fecerat cum virgine nobili cum sacerdote Vestæ alia huiusc modi contra ius fasque.

Facinus quod fecisse dicitur Cat. cum sacerdote Vestæ quæ erat Fabia Terentiae soror non vere narrare S. non eam ob causam dices quod absoluta est Fabia in virginum iudicio (cf. Cic. in Cat. III, 4. 9. Brut. 67, 236) et quod M. Cicero in orat. in toga cand. p. 525 O. et Q. Cicero de pet. cons. 3, § 10, illam omni culpa liberam esse significare videntur. Sed quod non magis probare potuit quam multa de quibus non nisi dubitans loquitur hoc loco pro certo eum narrare offendit. alia quoque stupra Catilinam fecisse legimus ap. Cic. in Cat. I. 13. II. 7. pro Sulla 70. 76.

Pergit sic. Sall. l. l.

Postremo captus amore Aureliae Orestillæ — pro certo creditur necato filio vacuam domum novis nuptiis fecisse. 15, 2.

Q. Cic. § 9, corroboratus in cæde civium. M. Cic. in Cat. I, § 18, multorum civium neces vexatio direptioque sociorum. cf. in tog. cand. p. 523 O.

Cic. I. § 14 hæc obicit Catilinæ: Quid vero nuper cum morte superioris uxoris novis nuptiis domum vacuefecisses, nonne etiam incredibili scelere hoc scelus cumulasti.

Similis verborum («domum vacuefacere») forma, qua usus est secutus hos etiam Livius I. 46, 9, movet me, ut cum Linkero (emendat. Sallust. p. 276. et Dietschio (ed. schol.) Sallustium Ciceronis locum repetiisse dicam. Sed recte monuit Wirzius l. l. p. 33, falso loco sive falso tempore rem narrari a Sallustio quæ quin post orationem in toga candida habitam facta sit fieri non potest et idcirca non imprimis causa fuit facinoris (i. e. coniurationis) maturandi. Sed praeter hoc aliud quoque offendit in Sallustianis. Res enim verbis quæ e Cicerone procul dubio excerpta sunt tradita a Tulliana narratione diversa est. Cicero Catilinam uxorem necasse, Sallustius filium dicit. Cicero quidem additis verbis «nonne — cumulasti» cædem filii significare, Sallustius de nece uxoris nihil suspicatus ex variis hominum rumoribus id repetiisse videtur quod pro certo habebat.

Quibus artibus quales familiares Catilina ex vario genere perditissimorum hominum compositos sibi adsciverit et ad coniurationis ministerium instituerit quæque ceteræ eius rei fuerint spes et incitamenta passim in Ciceronis orationibus exponitur. Quos omnes locos hic adscribere longum est, inspicere satis erit eos qui cum Sallustianis maxime convenient. Cum Sall. 14, 2—3. cf. Cic. in Cat. II. § 7. 8. 10. 22. 23. Quomodo iuvenes amicos sibi alligarit explicatur similiiter ap. Sall. 14, 6. ac apud Cic. pro Cælio § 13. in Cat. I. § 13. cum Sall. 16. 2—3, cf. Cic. in Cat. II. § 8. 23.

Id quominus ut in rebus similibus casu factum esse dicas prohibet ipsorum vocabulorum concentus, cf. Linkerum l. l. p. 276.

In his omnibus rebus enarrandis tam apte inter se congruunt auctores ut alter alterum secutum et imitatum esse negari non possit. Sed dissentit a Cicerone Sallustius quum dicat 14, 7. Scio fuisse nonnullos qui ita existumarent iuventutem que domum Catiline frequenterbat parum honeste pudicitiam habuisse, sed ex aliis rebus magis quam quod cuiquam id compertum foret hæc fama valebat.

Cicero quidem non dubitat talem ignominiam Catilinæ eiusque amicis obicere II. § 8. cf. 22. 23. Que probari omnino non possunt ea ut certa tradere non vult historicus quamquam sibi aliis ex rationibus probata esse non negat. cf. Wirzium l. l. p. 45. «Sallust liebt es selbst Gerüchte, wenn auch mit Vorbehalt, mitzutheilen, sobald sie auf die sittliche Verworfenheit der Catilinarier ein recht grelles Licht werfen.»



De coniuratione quæ dicitur priore Catilinaria.

Priusquam ad coniurationem a Catilina factam enarrandam aggredimur de priore coniuratione anni 66 disseramus. Inquisitio enim accuratior in hanc facta nonnihil afferet ad illam recte explicandam et ad Sallustii fidem iudicandam.

Cicero eam rem quasi præteriens commemorat et quo loco plura ei dicenda erant artificio quodam rhetorico adhibito elabitur. Quod enim dicit vix se quidquam de illa ex vulgi rumoribus comperisse non erit qui ei credat, quum scripsisse eum his de rebus non pauca ad Pompeium in Asiam cognoscamus ex Sullanæ § 67. Alium igitur auctorem cum Sallustio, cuius narratio vel breviter insipienti manca et male comparata videbitur, conferamu set quum æqualem non habemus ad recentiorem respicere cogimus.

Suetonius Cæsarem (vita c. 9.) narrat ante paucos dies quam ædilitatem iniret venisse in suspicionem conspirasse cum M. Crasso consulari, item C. Sulla et L. Autonio post designationem consulatus ambitus condemnatis, ut principio anni senatum adorirentur et trucidatis quos placitum esset dictaturam Crassus invaderet, ipse ab eo magister equitum diceretur constitutaque ad arbitrium re publica Sullæ et Autonio consulatus restitueretur.

Hæc tantum a Sallustianis distant ut utraque legenti vix eadem significari videantur, sed cùm ad idem tempus referantur, uter rectius rem tradere putandus sit nobis est iudicandum. Et iam primum appareat in Suetonii verbis certum aliquod et temporibus illis aptissimum consilium exponi singulaque omnia optime inter se cohærere; Sallustiana autem cum legimus longe abest ut res de quibus agit scriptor plane intellegamus, et recte quod ad summam totius rei attinet censuisse videtur Hagenus cuius legas dissertationem: Fände man eine solche Erzählung, so bis zur Abgeschmacktheit naiv, bei einem andern Autor, so würde man sie unbedingt als falsch verwerfen. p. 91 seq.

Sed non solum per se Suetonii narratio quam auctoribus ætati illi æqualibus iisque haud contemnendis testibus¹⁾ se debere dicit plus verisimilitudinis habet, sed etiam aliorum testimoniis confirmatur,

¹⁾ Quos bene defendisse videtur Hagenus contra Drumannum fidem iis abrogantem.

ut Asconii ad or. in toga cand. p. 522 O. «Eius quoque coniurationis quæ Cotta et Torquato consulibus ante annum quam hæc dicerentur facta est a Catilina et Pisone arguit M. Crassum auctorem fuisse.»

Nititur hoc Ciceronis ipsius verbis in oratione aliqua postea desperdita ab Asconio lectis. I. l. homines factiosos, Cæsarem et Crassum, significare videtur Cicero quum dicat: «qui posteaquam quod illo conati erant Hispaniensi pugiunculo nervos incidere civium Romanorum non potuerunt, duas uno tempore conantur in rem publicam sicas destringere.» Nescio an ad eosdem referam quod dicit orator: «Prætero conatum tuum — quum Cn. Pisone nec alio nemine cædem optimatum facere voluisti.»

Discedo igitur in sententiam Mommseni (hist. Rom. III. 182 ann.) Hageni Wirzii (p. 21. ann.) aliorum putantium, priorem quæ dicitur Catilinariam coniurationem a Crasso et Cæsare in Pompeium factam esse, id quod etiam Cicero in epistula illa a Torquato commemorata scripsisse videtur.

Singula nunc Sallustiana comparemus cum iis quæ aliunde de his rebus comperimus. De Sulla et Autronio consulibus declaratis post ambitus damnatis satis constat. Pergit Sallustius sic (18, 3):

Post paulo Catilina pecuniarum repetundarum reus prohibitus erat consulatum petere quod intra legitimos dies profiteri nequiverit.

Manifestum est dicere Sallustium eodem fere tempore, uno eodemque scilicet anno 66, utrumque evenisse. Fieri id potuit, nam Sulla et Autronio damnatis altera comitia consulibus creandis haberi necesse erat et tum Catilina, quem media fere æstate provincia decessisse sumendum est petitionem professus esse videtur.¹⁾ E conjectura suspicer Catilinam repulsa quam perpessi erant Sulla et Autronius permotum esse ut citius provincia decederet neque ut prorogaretur sibi peteret. Sed utut hæc se habent negari non potest anno 66. Catilinam professum se consulatum petere prohibitum esse quominus peteret. De qua repulsa videoas orat. in toga cand. fr. 15 et Asconii annot. (p. 524 O.). Quod addit S. «repetundarum reus» prorsus falsum est. Anno demum 65 id factum esse dubium non esse potest. cf. pro Cælio § 10. Recte igitur Wirzium (p. 6 nota 2 et p. 53) Sallustium vituperasse puto quod quæ anno 65 facta sunt in priorem transferret annum, omnesque quæ huius mendi excusandi causa pro-

¹⁾ Non erat igitur cur scriberet Kviçala (Zeitschr. für die österr. Gymn. 1863, p. 579—626) post paulo quam Catilina etc. et quæ ad impugnandam lectionem vulgatam attulit parum cogitata sunt.

latæ sunt illorum vocabulorum interpretationes nihil valent, siquidem concedere debemus non ad aliam rem spectare scriptorem quam ad accusationem a P. Clodio factam. cf. pro Sulla § 81. Quin etiam parens tuus Torquate consul *reo de pecuniis repetundis* Catilinæ fuit advo-catus. 83 qui *reo* Catilinæ consul non adfui.

Omnia præterea quæ Cic. in toga cand. et Ascon. ad h. or. de Catilinæ petitione dicunt ita comparata sunt ut inde appareat illo anno eum accusatum non fuisse: A quibus enim petis? A principibus civitatis qui tibi cum L. Volcatio cos. in consilio fuissent ne petendi quidem potestatem esse voluerunt? et Asconii ad h. l. verba «nam quærebatur repetundarum», recte explicat Wirzius esse imperfec-tum conatus quod vocamus. «A senatoribus», pergit Cicero, «qui te auctoritate sua spoliatum ornamentiis omnibus vinctum pæne Africanis oratoribus tradiderunt?»

Num putas ad eiusmodi *vana* et *inania* verba configiturum fuisse oratorem si re vera iam tum Catilinæ nomen ad prætorem delatum esset ut in numerum reorum referretur? Immo res sic se habebat. Quum ei minitaretur consul e senatus auctoritate, se eius non habiturum esse rationem in comitiis destitutus Catilina a petitione, ut monet Asconius, ratus nihil se impetraturum esse.¹⁾ Contra cum omnibus recentioribus criticis consentiens verba «quod intra legitimos dies profiteri nequiverit» ut interpretationem alienam e textu eicienda censeo. Addo ad ea quæ iam monita sunt a. V. D. adscripsiisse videri ea librarium memorem accusatis petere non licuisse.

De coniurationis sociis hæc habeo quæ annotem:

Nominat Sallustius Catilinam Cn. Pisonem Autronium. Eosdem etiam Cicero coniuratos fuisse dicit pro Sulla § 67 «Scilicet ego is sum qui existimem Cn. Pisonem et Catilinam et Vargunteium et Autronium e. q. s. Cassius Dio 36, 27 Πούπλιόν τε Παῖτον καὶ Κορνύλιον Σύλλαν nominat. Suetonius Cæsaris M. Crassi Publpii Sullæ L. Autronii mentionem facit.

Vargunteium apud Ciceronem solum nominatum invenimus. Ex eo quod S. Catonem loquentem inducit c. 52, § 33, «ignoscite Cethegi adulescentiae nisi iterum bellum patriæ fecit» non debuit colligere Hagenus etiam prioris coniurationis participem fuisse Cethegum.

De hac re quum neque quæstio habita neque ad senatum relatum sit non mirum est multa obscuriora esse. Erat fortasse inter coniuratos huius temporis Vargunteius, sed malim credere Vargunteium Ciceronem nominare non aliter ac postea quemuis inimicum e

¹⁾ cf. præter Ciceronem et Asconium l. l. etiam Vell. Pat. II. 92, 3.

coniuratorum grege fuisse dictabat. Maiorem etiam obscuritatem et dubitationem habent quæ de Crasso Cæsare Sulla coniurationis principibus legimus apud Sallustium Suetonium alios, quam ad rem capite III recurremus. Hic satis est dicere Sullam quoque his consiliis fauisse uideri (cf. Wirzii annot. 2 p. 54, et quæ supra citavimus p. 13).

Sed non omnia eo quem illic videbimus modo explanari possunt. Discernit Sallustius duo coniurationis consilia, prius quod Kalendis Jan. posterius quod Nonis Febr. executuri erant Catilinarii. Quorum utrum novisse videatur Suetonius, difficile est dictu. Principio anni non Kal. Jan. significare posse non putabis recte monuisse Hagenum p. 95. quum dicat: Schwerlich hätte Sueton principio anni und diem cædi destinatum gesagt, wenn der erste Januar von seinen Quellen angegeben wäre, er denkt also wohl an den Plan für den Februar.

De cæde Kal. Jan. facienda dicit Cicero hisce locis:

In Cat. I. § 15 «te pridie Kal. Jan. Lepido et Tullo cos. stetisse in comitio cum telo, manum consulum et principum civitatis interficiendorum causa paravisse.» Pro Sulla § 68, «interfecto patre tuo consulem descendere Käl. Jan. cum lictoribus.» De universo consilio et tempore cf. Cic. in toga cand. p. 526 O. et Asc. ann. præterea Muren. § 81. «Omnia quæ per hoc triennium agitata sunt iam ab eo tempore quo a L. Catilina et Cn. Pisone initum consilium senatus interficiendi scitis esse» et q. s. Oratio pro Murena habita est decembri mense Tullio et Antonio cos. (cf. § 81. 84.) Pro Sulla § 11 hæc legimus: Duæ coniurationes abs te, Torquate, constituuntur, una quæ Lepido et Volcatio cos. patre tuo cos. des. facta esse dicitur, altera quæ me cos.

Ex his relationum particulis coniurationem qualis fuit constituere res est spinosa. Plura tamen eorum quæ refert Sallustius firmata Ciceronis testimonio certa habenda sunt, sed non adeo inter se consentiunt scriptores ut illum ex hoc exscripsisse possis dicere. Videtur ex eodem fere quo usus est Suetonius auctore pendere Sallustius; quamquam enim in universum falsam et parum continuam huius rei describit imaginem, in singulis tam clara et manifesta dicit ut fieri non possit quin accuratiora ea de re legerit audierit quæ tantum non omnia repetit, omissis scilicet iis quæ contra Cæsarem et Sullam tradebantur.

De Pisone nonnisi apud Suetonium pauca invenimus quæ cum Sallustianis conferamus; nam quæ Ascon. de eo tradit ad Cornelianam p. 66 et orat. in toga cand. ex Sallustio sumpta sunt.¹⁾

¹⁾ Conf. Wirzium p. 19. nota 1.

Nescimus igitur utrum quod distincte commemorat S., circa Nonas Decembres cum Pisone consilium communicasse Catilinam et Autronium, firmis nitatur argumentis necne. Concludere hanc diem sane potuit S. ex. illo quem laudavimus Murenianæ loco. Quod ad rem ipsam attinet non inepte monuit Hagenus p. 99.: Zwar lässt S. Piso um die Nonen des December von Catilina und Autronius in den Plan eingeweiht werden; aber wer ihn hineinzog, konnte doch so genau Niemand von jedem einzelnen wissen. War Catilina nach Sallust mit Autronius zum Consulate auserwählt und, wie Asconius sagt, ein Freund Pisos, so konnte S. leicht darauf kommen, dieses Consulaar als die Anwerber Pisos zu nennen, auch wenn er diese Angabe nirgends fand.»

«Parabant in Capitolio Kal. Jan. L. Cottam et L. Torquatum consules interficere.» Sall. 18, 5. Plerumque sumitur hoc in solemnii illa sacrificeatione qua consules magistratum inibant fieri convenisse inter particeps huius consilii. conf. pro Sulla § 68. sed illo tempore non consulibus modo sed etiam principibus civitatis illos perniciem machinatos esse testari videtur Cicero in Cat. I. 15, de qua re non erat cur dubitaret Hagenus; nam quæ monuit: «Wenn der Mord so offen betrieben worden wäre schon vor dem 1. Januar, konnte er unmöglich am 5. Februar von Neuem versucht werden, und wenn solche Details jedem bekannt waren, konnte Cicero in der Sullana sich nicht so unwissend stellen. Das ist leere Behauptung, da Catilinas Theilnahme am 5. Februar nicht zweifelhaft war,» non recte moneri facile intelleges si memineris senatum ne patefacta quidem coniuratione in socios animaduertere ausum esse, et quod Cicero in Sullana (§ 12) nihil se scire simulat nihil habet miri quum et Hortensio hæ defensionis partes obvenerint et Cicero additis verbis (§ 11) Patris tui — scis me consiliis non interfuisse e. q. s. Torquatum accusatorem vexare velit.

Non igitur vera est quam inesse uult Sallustius differentiam inter consilium ad Kal. Jan. et ad Non. Febr. initum. Ea de quibus diximus ab aliis quoque scriptoribus confirmari vidiimus, quæ autem sequuntur de translata coniuratione in Non. Februarias, de Catilina signum sociis dare maturante apud Sallustum solum leguntur ab iisque quæ tradit Suetonius l. l. mirum quantum discrepant. Utrumque ita coniungere studet Hagenus ut dicat (p. 107) Crassum Non. Febr. die cædi destinato senatu afuisse ideoque Cæsarem togam humero non deiecssisse quod convenerat. Nihilo minus Catilinam animi furore incitum pro curia sociis signum dare maturasse. Sed tantam

licentiam invitis aliis ei fuisse vix est credendum videturque Hagenus oblivisci quod ipse paulo ante dicit, «ohne allen Anlass konnte man doch nicht über den Senat herfallen.» Alia est Mommseni sententia qui quæ Non. Febr. facta sunt narrat secutus Sallustum, de facinore Kal. Jan. patrando hæc docet: «An dem tage, wo die neuen Consuln ihr Amt antreten würden, den 1. Januar 689, sollte die Curie von Bewaffneten gestürmt, die neuen Consuln und die bezeichneten Opfer niedergemacht werden. — Catilina wartete an dem bestimmten Tage in der Nähe des Rathhauses auf das verabredete Zeichen, das auf Crassus Wink ihm von Cæsar gegeben werden sollte. Allein er wartete vergebens; Crassus fehlte in der entscheidenden Senatssitzung und daran scheiterte für diesmal die projectirte Insurrection. Vol. III. 2, p. 164.

Hæc satis probabilia sunt, sed si excipis quod senatum illo die in capitolium convocatum esse ex Sullan. 65 et de signo dando e Suetonio constat, cætera omnia mera e coniectura dicta sunt. Sallustius quidem significare videtur suspicionem quæ de coniuratione orta erat participes consilii quominus proposita perficerent retinuisse. Ante «ea re cognita» excidisse quedam verba suspicatus est Dietschius (comment. c. II. p. 17 et edit. schol. p. 82 ann. 6), quorum argumentum apud Dionem Cassium XXXVI. 27 tradi putat. Sed rationes grammaticæ quibus sententiam suam firmare studet V. D. mihi quidem probatae non sunt et vereor ne Cassius Dio hæc de suo addiderit. Rem igitur in medio relinquere tutius erit.

De Cn. Pisonis quæstura et morte infra disputabimus.

De priore coniuratione satis dictum.



Nunc redeamus illuc unde digressi sumus, ad enarrandam coniurationem posteriorem. Aptum erit agere primum *de sociis et partcipibus huius consilii iisque omnino qui Catilinæ inceptis fauebant.*

Distinguendi sunt ii qui iam illo tempore cum Catilina consilium opprimentiae rei publicæ communicabant ab iis quos postea sibi adscivisse dicitur Catilina. alterorum cap. 16, 4 et cap. 17 hæc genera nominantur :

Amici sociique Catilinæ
ære alieno oppressi
Sullani milites
nobiles factiosi.

cum his conferas quæ Cicero de generibus hominum e quibus coniurationis copiæ comparentur exponit in Catilin. II.

§ 22. Postremum autem genus est e. q. s.

§ 18. Unum genus est eorum qui magno in ære alieno e. q. s.

§ 20. Tertium genus est ætate iam adfectum sed exercitatione robustum e. q. s.

§ 19. Alterum genus est eorum qui quamquam premuntur ære alieno dominationem tamen expectant e. q. s.

De Catilinæ amicis cf. etiam pro Cælio § 10. 12.

«Ceterum iuventus pleraque set maxime nobilium Catilinæ inceptis fauebat,» Sall. 17, 6. hoc sine dubio verum est et testimoniis non eget, sed quod addit S. «quibus in otio vel magnifice vel molliter vivere copia erat incerta pro certis, bellum quam pacem malebant, vereor ne elegantius quam verius et eodem modo dictum sit quo 21, 1 «tamen illis quieta movere magna merces videbatur» et 18, 4, «quem ad perturbandam rempublicam (inopia atque) mali mores stimulabant.» Est quod dicit Wirzius «ein Operiren mit psychologischen Motiven» cf. p. 55.

Hi coniurati fere omnes loco nobili orti erant, senatores, equites, nobiles et urbani et municipes. Ad tales viros pertinere opinatur S. quod dicit 17, 2 «quibus maxima necessitudo et plurimum audaciæ inerat» et 21, 1 «homines quibus mala abunde erant omnia sed neque res neque spes bona ulla.» Non possumus non videre quos nominet Sallustius omnes esse cives Romanos eosque qui postea in coniuratione partes quasdam agentes appareant et re patefacta damnationibus accusationibusve Catilinarii fuisse convicti sint, de qua re cf. Wirzium p. 53 fin. et 54.

De Lentulo enim, Cethego, Statilio, Gabinio supplicium sumptum est, idem in L. Cassium et Q. Annium decretum, P. Autronius, L. et Servius Sullæ, L. Vargunteius, M. Porcius Læca postea in exilium missi, in C. Cornelium quæstio habita est. L. Calpurnium Bestiam

inter coniuratos fuisse ex iis quas fecit intercessionibus apparet. De uno M. Fulvio Nobiliore neque apud Sallustium neque apud alium quemquam legimus. Collegit inde Wirzius p. 54 annot. I. hæc verba margini a lectore attento cl. 39, 5. «A. Fulvius senatoris filius» adscripta esse hac forma: «A. Fulvius nobilis» ut eorum numerus expleretur qui e senatorio ordine Catilinæ socii nominantur. Inde in textum irrepsisse ita ut pro A. posita M. «nobilis» in «nobilior» mutaretur. Hoc nescio an sagacius quam verius dictum sit, sed id recte monuit W. Fulvios Nobiliores non equestris sed senatorii ordinis fuisse cf. Paulii Realencyclop. III. 533 s. v. Fulvia gens.

«Fuere item ea tempestate qui crederent M. Licinium Crassum non ignarum eius consilii fuisse» e. q. s. 17, 7. Puto non recte vituperasse Sallustium quod parum sibi constaret hoc addens Wirzium, cuius legas verba p. 37, quum dixisset 5, 6 de Catilina: Hunc post dominationem Luci Sullaæ lubido maxuma invaserat rei publicæ capiundæ — dum sibi regnum pararet» et 16, 4, «opprimundæ rei publicæ consilium cepit.» Nam fieri facile potuit ut Catilina nesciens et invitus Crassi aliorum consilia exequeretur sibi ipsi regnum parare ratus. Præterea id non ut suam sententiam S. sed ut quæ ab aliis compererit refert. Habebat certe tum Crassus cur infestus Pompeio seditionem et res novas cuperet. Contra recte annotasse videtur Wirzius (p. 40) secutus Hagenum, tantum afuisse ut viri a Sallustio nominati tum necessitate oppressi et spe bona omni privati essent ut opibus et potentia florerent.

Nunc de *consiliis coniuratorum* disputandum est. De his cf. quos supra adscripsimus locos 5, 4 et 16, 4. Quæri potest num recte id Catilinæ suo attribuerit S. et dubitaverunt Niebuhrus: Vorträge über röm. Gesch. III. p. 13. Drumannus hist. Rom. V. p. 379. Mommsenus III. 166. Hagenus et Wirzius l. 1. Mihi quidem manifestum est tale quid sibi proposuisse Catilinam¹⁾ et Sallustium ut inepte illum ad id patrandum conscientia scelerum agi facit, ita vere scripsisse 5, 4 «vastus animus immoderata incredibilia nimis alta semper cupiebat.» Huic non contrarium est quod Crassus Cæsar Lentulus eadem persecuti esse dicuntur.

Iter quo ad hunc finem pervenientum erat iam a Sulla et Lepido monstratum erat esse per seditiones et bellum civile. Sed facilius hoc fieri potuit, si consulatus auctoritate opes quas ipse habebat

¹⁾ Idem judicavit Appianus quum dicat: «εἰς ὑπάτειαν παρίγγειλεν ὡς τῇδε παροδεύσων εἰς τυραννίδα.»

auctæ erant. Occasio ad tantum facinus incipiendum temporaque apta erant. cf. 16, 4 et 5.

Ante omnia igitur id agendum erat Catilinæ ut consul crearetur. Ad id impetrandum appellatis primo circiter Kal. Jan. singulis convocat illos de quibus supra demonstravimus eosque eo modo allocutus est quem legimus ap. Sall. c. 20.

Hanc orationem ea quidem omnia quæ oratorem decent præbere nemo non concedet; sed etiam nihil fere inesse eorum quæ ad historiam pertinent quisquis eam accuratius inspexerit negare nequit. Argumentum eius omnino hominibus ad quos habita est consiliisque quæ coniuratorum hoc tempore fuisse novimus non adaptatum esse optime docuerunt Hagenus p. 139 seq. et Wirzius 37 seq., quorum disputationem repetere nolo. Finis solus veram horum temporum imaginem designat § 17. «Hæc omnia ut spero vobiscum una *consul* agam et q. s.» Quum igitur tota oratio, præter locos de quibus infra dicemus, ipsius Sallustii sit, videndum est quid spectarit quum eam scriberet auctor. Linkerus emend. Sallust. p. 269, nota 3 putat eam exemplar esse contionum quas re vera habebat sæpius illis temporibus Catilina et Hagenus occasionem sibi invenisse visus est qua habita esset (p. 141.) «Sallust hatte eine Nachricht, dass die von ihm genannten Personen sich zu einer Besprechung bei Catilina im Juni 64 eingefunden hätten — und zu diesem Zeitpunkt, zu diesen Männern passt die Rede von Anfang bis zu Ende.»

Ut concedam ad tales viros pertinere quæ in oratione legimus, id quod de fonte Sallustiano excogitavit Hagenus ex vano sumptum est. Habemus certe duos locos quos cum oratione conferamus:

Sall. 20, 3 – 4. „Sed quia multis et magnis tempestatibus nos cognovi fortis fidosque mihi, eo animus ausus est maximum atque pulcherrimum facinus incipere, simul quia vobis eadem quæ mihi bona malaque esse intellexi. Nam idem velle atque idem nolle, ea demum firma amicitia est.“

Sall. 20, 9. „Quæ quoisque tandem patiemini.“

Recte ad hanc orationem monuit Wirzius p. 42: «Der Inhalt dieser Stylübung nun passt aber für die allgemeine Lage Italiens zu jener Zeit, für die Lage des damaligen politischen und sozialen Proletariates e. q. s. Quum autem hoc tempore proletarios nondum ut postea ad coniurationem adscitos esse ipse significet Sallustius magna temporum confusio ei imputanda est. Maioris momenti quam illa oratio

Muren. § 50. „Meministis enim quum illius nefarii gladiatoris voces percrebuerint quas habuisse in contione domestica dicebatur quum miserorum fidelem defensorem negasset inveniri posse nisi eum qui ipse miser esset.“ e. q. s. cf. etiam § 51. 49.

Cic. in Cat. I. 1, 1. „Quousque tandem — abutere patientia nostra.“

nobis ea sunt quæ postea agitasse secumque reputasse dicuntur coniurati c. 21, 1 « postulavere plerique ut proponeret quæ condicio belli foret, quæ præmia armis peterent, quid ubique opis aut spei haberent. Tum Catilina polliceri tabulas novas proscriptionem locupletium magistratus sacerdotia rapinas » e. q. s.

Hæc vera fuisse videntur consilia coniuratorum, si ita appellare licet homines factiosos et novarum rerum cupidos. De iis quæ sequuntur apud Sallustium 21, 3 seq. docte et sagaciter disputaverunt Hagenus et Wirzius quorum argumenta quum tantum non omnia probem hic repetere nolo. Docuerunt Pisonem iam tum mortuum, Sittium in Mauretania nondum fuisse; gravissimum totius sermonis illud esse Catilinæ, « petitionem suam curæ haberent », quidquid de coniuratione Curii negligentia per Fulviam detecta sumeremus, id certe vix credendum esse eam rem plurimum contulisse ad consulatum Ciceroni comparandum. Animadvertisce uelim lectores quam incerto modo hæc tradat Sall. « Ea res imprimis studia *hominum* accedit ad consulatum mandandum M. Tullio Ciceroni. Namque antea pleraque *nobilitas* invidia æstuabat et quasi pollui consulatum eredebant si eum quamuis egregius homo novos adeptus foret. » 23, 5. 6. De nobilitatis invidia cf. Cic. de lege agr. II. § 3. 100, pro Mur. § 17 et saep.

Quod attinet ad summam horum capitum inde a decimo septimo probavit mihi sententiam suam Wirzius qui hæc dicit p. 53. « Und nun drängt sich uns die Vermuthung auf, dass Sallust, der im Einzelnen mehrere chronologische Unrichtigkeiten sich hat zu schulden kommen lassen — einen grossen Anachronismus sich erlaubt, dass er die ausgebildete Verschwörung von Cicero's Consulat mit ihren Theilnehmern und Plänen vor die Comitien 64 verlegt hat » (cf. Hagenum p. 9). Quamquam non omnia quæ ad firmandum hoc iudicium attulit vir doctissimus mihi placent. De his pauca disseram.

Dicit Wirzius p. 42: « Ein entscheidendes Moment für die richtige Auffassung des Verhältnisses zwischen der Rede und der Debatte gewinnen wir aus Sallust selber c. 22. Catilinam oratione habita — humani corporis sanguinem vino permixtum in pateris circumtulisse; inde cum — degustavissent, aperuisse consilium suum. »

Also soll *nach* der Rede Catilina seinen Plan eröffnet haben? Ist das nicht ein Widerspruch? Haben sie denn nicht so eben aus Catilina's Munde vernommen, was er will, dass sein Plan die bewaffnete Insurrection ist? fragen sie ihn doch, nachdem sie die Rede gehört, geradezu darüber aus. » Certe talem fuisse orationem sumpsit

Sallustius qualem Catilinam habentem facit, sed contendo nihil inesse huic orationi quo auditio intellegere potuerint coniurati quid sibi velit Catilina. Itaque necesse erat petere eos ut accuratiora sibi exponeret nec oratione habita supervacuum erat aperire consilium, id quod fit c. 21 in. Exhortatione illa (cap. 20) quam totam Sallustii esse non nego puto nihil aliud agere Catilinam quam ut amicorum animos ad audiendum probandumque consilium suum præpararet et caperet. Quod perverse addidit Wirzius: «Durch die Eröffnung des consilium werden sie tanti facinoris consci 22, 2 und gerade zu diesem facinus -- hat er sie in der Rede angefeuert» ipse iam secum correxerit vir doctissimus. His illam quoque rationem qua idem hoc Sallustii vitium explicare studuit repulisse mihi videor iam per se parum probabilem. «Was folgt daraus?» e. q. s. p. 43.

Sallustium quum dicat «Fuere ea tempestate qui dicerent e. q. s.» repulisse putat Wirzius argumentationem eorum qui hæc postea ad leniendam Ciceronis invidiam inventa esse existimabant. «Wenn S. dieses Hauptargument gegen die Wahrheit der Erzählung fallen lässt, indem er sagt, fuere ea tempestate qui dicerent, so gibt er zu, dass das Gerücht ein zeitgenössisches ist.» Puto tale quid Sallustium fugiturum non fuisse sed «ea tempestas» non tam arcte quam vult W. definiri debet sed totius coniurationis tempus opposita ætate scriptoris comprehendere videtur. cf. 17, 7. «fuere item ea tempestate qui crederent M. Licin. Crassum non ignarum eius consilii fuisse.» Cum Wirziana cadit etiam mira illa Dietschii explicatio huius loci qua (ed. schol. p. 94 ann. 3) verba «hæc et multa præterea» particulis et - et additis apte coniuncta distrahuntur. Versio quam facit D. grammaticam lædit.

Venio ad Q. Curium, de quo putat W. p. 55 Sallustium quæ postea facta essent ad priora tempora falso transtulisse, cl. 26, 3. 28, 2. «Curius war von Cicero bestochen, also ein Verräther: 64 aber vor den Comitien war weder Cicero im Fall zu bestechen, noch Curius zu verrathen.» cf. Hagen p. 162 ff.

Ex Cicerone ipso novimus nobiles nonnisi invitatos petitionem eius adiuvisse. Debemus igitur necessitatem aliquam invenire qua eos coactos esse putemus ut inuidiam hominis novi relinquerent. Hanc nobis ostendit Sallustii narratio quæ in se nihil habet quod offendat, nisi quod coniuratione detecta hominum studia ad consulatum Tullio mandandum accensa esse dicuntur, quod falsum esse iam supra vidi mus. Ego quidem quæ tam accurate et singillatim tradit Sallustium

ex vano hausisse, dum certis argumentis probetur non facile adducor ut credam.

Sed omissis his de quibus nimis Sallustii fidem in dubium vocant viri docti ex antecedentibus apparere videtur Sallustium in hac operis parte multa parum probabilia aut prorsus falsa referre; et non casu sane fit ut quem auctorem secutus sit rarissime dicere possimus. Nam præter locos de comitiis consularibus supra laudatos unus est quem eum imitatum esse sumere debemus:

Sall. 21, 3. Q. Antonium hominem cf. cum Q. Cic. de pet. cons. 2. § 7. et familiarem et omnibus necessitudi- Eorum alterius bona proscripta vidimus. nibus circumventum.

Hoc loco non inutile esse puto monere Sallustium coniurationem quam describit non per universum tempus inde a Kal. Jun. 64 usque ad ver a. 62 unam eandemque putare sed tres eius quasi partes inter se differentes significare. Prima est, de qua diximus, quæ res usque ad comitia consularia a. 64 factas comprehendit. Continet hæc primum Catilinæ conatum consilia sua per consulatum exequendi. De bello ad opprimendam rem publicam faciendo solum incerto modo cogitatur et pauci tantum iisque nobiles omnes nominantur coniurationis socii participesque.

Longe alia est ratio eorum quæ cap. 24—26 narrantur. Hæc quoque tempora petitione consulatus circumscribuntur atque definiuntur. Ea tempestate bellum civile parat Catilina, arma et pecuniam idoneis locis collocat, plures cuiusque generis homines adsciscit, sed in incerta magis futura quam in præsentia. etiamtum ad id potissimum nititur ut consul crearetur. Cædes quoque civium præsertim Ciceronis conatur perficere.

Iterum repulsus demum bellum facere constituit, seditiones tota Italia excitat, in urbe ipsa cædes et incendia parat (cap. 27 seq.).

Videamus num hæc rerum dispositio quam consulto et arte quadam adhibita factam esse intellexit iam Hagenus confirmetur Ciceronis aliorum testimentiis. Qua in re sequor luculentam Dietschii enarrationem (ed. schol. excurs. I.), omissis iis quæ ad quæstionem nobis tractandam nihil pertinentia apud Ciceronem occurrunt iisque de quibus quum non consentiam cum Dietschio accuratius disputare in animo habeo.

Cicero consul quum professus esset Catilina petiturum se esse consulatum legem de ambitu graviorem tulit (pro Mur. 32, 67. schol. Bobin. ad or. pro Sulla p. 302 O.); qua cum Catilinam ut desisteret

petitione impellere nequivisset efficit ut e senatus consulto comitia consulibus creandis ad a. d. XII. Kal. Nov. differrentur (cf. Drumanni hist. Rom. V. p. 448. Halm ad Cic. orat. Catil. præf. p. 10). neque tamen minuebatur Catilinæ furor qui paucis diebus ante M. Catoni in senatu iudicium sibi minitanti ac denuntianti illud dederat responsum quod falso loco affert Sall. 31, 9. (cf. pro Mur. 25, 51.) Eodem fere tempore colonis Arretinis Fæsulanisque quos ex Etruria convocatos secum ductabat aliisque amicis in contione domestica illa dicit quæ Sallustius falso eum anno 64 prædicantem facit. (cf. pro Mur. 25, 50.)

Quibus de rebus quæ percrebuerant ut agi possit in senatu fit decretum referente Tullio a. d. XIII. Kal. Nov., ne postero die comitia haberentur (pro Mur. 25, 51). Postridie frequenti senatu consul Catilinam excitavit atque eum de his rebus iussit si quid vellet dicere quæ ad se adlatæ essent (pro Mur. 1. 1.), fore in armis ante diem VI. Kal. Nov. C. Manlium (Cic. in Cat. I. 3, 7). Catilina ferocius respondit duo corpora esse reipublicæ e. q. s. (pro Mur. 25, 51). Decrevit deinde senatus viderent consules ne quid detrimenti caperet respublica. (Cic. Cat. I. 2, 4. quocum non pugnant Ascon. in Pison. p. 6 O. et Cic. pro Mur. 1. 1. cf. Drum. V. p. 450.) Comitiorum die quum consul cum præsidiis lorica indutus in campum descenderet Catilina neque cædem quam facere voluit patrare potuit neque consul creatus est. (Cic. Cat. I. § 11. pro Sulla 51. pro Mur. 52.)

Concedent mihi facile omnes non solum singulas quas uterque narrat scriptor res non semper inter se congruere sed magnopere omnino alterum ab altero in exponenda summa rerum differre. Summa totius rei a Sallustio posita est in petitione consulatus. cf. 24, 2 seq. 26, 1. 2. Ad hanc dignitatem omnia referuntur. Ad bellum parat Catilina quæ occasione data adhibeat sed quæcumque agitat cavet semper ne consuli et senatui in se animaduertendi facultatem det. Longe aliter Catilina Ciceronianus. Hic publice agit partes civium miserrum et oppressorum eique opponit se senatus ut factio quæ adversarios neque ignoret et impugnare studeat. Intellegebant viri boni cum antea tum diebus a comitiis consularibus proximis non iam coniurationem singulorum sed gravem et periculosam rei publicæ seditionem domesticam bellumque instare quæ res ut potestas maxima per senatum magistratui permitteretur exigeret. Ad quam haud levem rem inferius redeamus. Hic uter singula quæque rectius tradidisse videatur inquiramus.

Cap. 24, 2. «Neque tamen Catilinæ furor minuebatur sed in dies plura agitare.» animos hominum hoc tempore ad res novas tentatos esse testatur etiam Cic. de lege agr. or. II. ad populum habita. cf. præs. § 8. omnia turbulenta consilia — partim nobis consulibus designatis inita esse dicebantur.

«Arma per Italiam locis oportunis parare, pecuniam — Fæsulas ad Manlium quendam portare.» Hæc num re vera iam tunc i. e. statim post repulsam in comitiis acceptam facta sint ex Cicerone aliove auctore iudicare non possumus (cf. de Manlio I. Catil. § 7. II § 5) sed nihil est cur dubitemus quamquam non possum non mirari quod demum circa Kal. Nov. anni 63 nuntios ea de re Romam et ad senatum venisse ipse dicit S. cap. 30.

24, 3. «Ea tempestate plurimos cuiusque generis homines adsciuuisse sibi dicitur.» Meminimus sex eorum generum quæ enumerat coniuratorum Cicero in Catil. II. nos iam invenisse apud Sallustium quattuor. Hic genus habemus quod quartum dicit orator (c. 10) et «sane varium et mixtum et turbulentum.»

«Mulieres etiam aliquot» cf. Cic. II. § 7, «quæ mulier infamis se cum Catilina non familiarissime vixisse fateatur?» Fuisse igitur mulieres participes coniurationis constat; sed quid sibi vellet Catilina adsciscens eas falso explicasse Sallustium docuit Hagenus p. 151. Non intellegemus quid hoc tempore servorum opera egerit C. idque ne Sallustius quidem scisse videtur quum dicit: per eos credebat posse servitia urbana sollicitare e. q. s. 24, 4.

De Sempronia capite III dicendum erit.

26, 1. «His rebus comparatis C. nillo minus in proximum annum consulatum petebat sperans, si designatus foret, facile se ex voluntate Antonio usurum.» cum his comparanda sunt quæ legimus pro Murena § 49 «inflatum cum spe militum tum collegæ mei quemadmodum ipse dicebat promissis.» Pergit sic Sallustius «neque interea quietus erat sed omnibus modis insidias parabat Ciceroni.» cf. I. Cat. § 15, «quotiens tu me designatum quotiens consulem interficere voluisti?» § 11. «Quam diu mihi consuli designato, Catilina, insidiatus es, non publico me præsidio sed privata diligentia defendi.» Sallustius eas petitiones quæ in Ciceronem consulem designatum factæ sunt aut ignorare aut neglegere videtur quum dicat 26, 2 «neque illi tamen ad cavendum dolus aut astutiæ deerant. Namque a principio consulatus sui multa pollicendo per Fulviam effecerat ut Q. Curius — consilia Catilinæ sibi proderet.»

Cicero ipse permultis locis commemorat quid quibusque modis de insidiis sibi aliisve paratis et de ceteris coniuratorum consiliis compererit, velut pro Sulla § 14 «multa cum essem consul de summis rei publicae periculis audivi, multa quæsivi, multa cognovi e. q. s.» sed nullo loco narrat se indicis perfugæ auxilio usum esse quem argento dato et promissis ad suas partes transduxisset. Quam ob causam in dubium vocata naratione Sallustiana putat Hagenus consulem præter rumores qui negligentia et vanitate quorundam coniuratorum vulgati percrebuissent quæque per nuntios exploratores litteras ad eum mandata essent nihil fere habuisse quæ accuratius de coniuratione ad senatum referret. Per multa eum e conjectura prædixisse quæ factum iri ex certis signis collegisset. Sed ea in re argutius illum quam verius argumentatum esse vix est cur longius exponam. Habemus Suetonii, cuius auctoritatem his in rebus haud levem esse am s upra vidimus, de Curio hæc verba (vita Julii Cæs. c. 17) «cui quod primus consilia coniuratorum detexerat constituta erant publice præmia.» Donec igitur alia eaque maioris momenti Sallustianis opponantur verum illum referre sumere debemus.

«Ad hoc collegam suum pactione provinciæ perpulerat ne contra rem publicam sentiret.» Sall. 26, 4. Recte Sallustium perspexisse qua ratione Antonius coniunctus fuerit cum coniuratis appareat ex Ciceronis pro Sestio § 8. «Atque ego de Antonio nihil dico præter unum, numquam illum in illo summo timore ac periculo civitatis neque communem metum omnium neque propriam nonnullorum de ipso suspicionem aut infitiando tollere aut dissimulando sedare voluisse.» De pactione provinciæ cf. de lege agr. II. § 103, in Pis. § 5. 56.

«Circum se præsidia amicorum atque clientium occulte habebat.» Defensum se esse amicorum auxilio ipse fatetur Cicero I. Cat. § 11, pro Sulla § 51, pro Mur. § 52. occulte hos secum habuisse eum Sallustius ex suo addidit nescio an non recte cf. Cic. Cat. III. § 5.

«Postquam dies comitiorum venit et Catilinæ neque petitio neque insidiæ quas fecerat in campo prospere cessere e. q. s. 26, 5.»

Quam supra scripsi de comitiis consularibus narratio sequitur Drumanni coniecturam qua quamvis testimoniis non confirmata tamen quin verum assecutus sit V. D. vix est dubitandum. Neque enim comitia quæ indicta erant in a. d. XII. Kal. Nov. possunt initio in hunc diem destinata esse et habet quandam veri similitudinem quod suspicatus est Hagenus tribus ante mensibus, a. d. XII. Kal. Sextil. consules declarari debuisse. Nam eodem fere tempore, mense Julio exeunte incipiente Sextili, nisi erat quod quominus fieret prohibe-

ret, comitia habita esse sumendum videtur. Ea certe anni 65 tempestate consules creatos esse docuit Wirzius (7 nota 1.) cf. etiam Bekkeri antiq. Rom. II. 2, 42 seq. Sed non minus certum est comitia etiam post a. d. XII. Kal. Nov. habita esse (cf. pro Mur. 51.) et quæ contra monuit Hagenus aut supra iam repulimus aut non digna sunt quæ refutentur. Die V. a. Kal. Nov. consules creatos esse ut existimaverunt Drumannus Halmius Dietschius Kritzius docebo in iis quæ sequuntur.

Quorum quem diem Sallustius comitiorum fuisse sumpserit hic est quærendum. Nescio an recte intellegam scriptorem quum putem, «postquam dies comitiorum venit» nullo alio addito vocabulo illum solum scribere potuisse si tempus significare vellet quo plerumque consules creabantur i. e. medium fere æstatem, ne arctioribus rem circumscribam finibus. Præterea si quis quæ ut post comitia facta narrat auctor attente perlegerit, mecum sibi persuasum habebit tam multis res paruo illo spatio qui foret inter a. d. XII. et VI. Kal. Nov., quo die Manlius arma cepit, non complexum esse Sallustium. Respexisse eum ad illum quo nos consules creatos esse putamus diem V. a. Kal. Nov. dicere absurdum est. Sed omnia optime inter se congruunt si sumimus Sallustium nihil comperisse de comitiis e senatus consulto a media æstate ad auctumnū dilatis, id quod expli- catu facile est quum ea de re nihil apud Ciceronem invenerit neque senatus acta inspexisse credendus sit. Accedit quod artificiosam illam rationem qua coniurationis consilia et facta disposuit ipse perturbaret scriptor nisi maius quid inter comitia consularia in quibus repulsam tulerat Catilina et initium belli civilis quod factum est ab Manlio spatium interpositum esse sumeret.

Sed non solum non adeptus est quod petebat Catilina sed ne insidiæ quidem quas in campo fecerat prospere cessere.

De his dicit Cicero locis quos supra laudavimus:

I. Catil. § 7.

Dixi ego idem in senatu cædem te optimatum contulisse in a. d. V. Kal. Nov.

I. Catil. § 11.

Cum proximis comitis consularibus me consulem in campo et competitores tuos interficere voluisti.

Pro Sulla § 51.

Illum conatum Autronii et Catilinæ cum in campo consularibus comitiis quæ a me habita sunt cædem facere voluerunt.

Tribus his locis, quibuscum conferas etiam Mur. § 52 oratorem de una eademque re loqui appetet ex iis quæ sequuntur:

Te illo die meis præsidiis mea diligentia circumclusum commovere te contra rem publicam non potuisse.

Compressi conatus tuos nefarios amicorum præsum commovere te contra sudio et copiis nullo tumultu publice concitato.

Ego tectus præsidio firme amicorum Catilinæ tum et Autronii copias et conatum repressi.

Puto igitur in comitia quo die maxime occasio data erat talis facinoris patrandi non solum consulibus sed etiam competitoribus et principibus civitatis iam ab initio insidiatos esse Catilinarios idque consilium ab a. d. XII Kal. Nov. ad a. d. V. distulisse. Contra non timeo ne quis opponat Ciceronem iam a. d. XII. id prædixisse, nam consilium coniuratorum statim eo die quo senatus referente Tullio comitia in a. d. v. Kal. Nov. distulit (erat hic a. d. XIII Kal. Nov.) mutatum non minus celeriter cognovit Cicero per Curium. Praeterea si temporis momentum premere volumus non distinete dicit orator se die XII prædixisse cædem in V. meditari Catilinam, sed hoc solum: «Dixi ego idem in senatu» e. q. s. id quod etiam postero die aut pluribus post diebus fieri poterat. Non recte igitur impugnasse puto Linkerum Halmii sententiam, quæ etiam mea est, de comitiorum die quum scriberet: (Emend. p. 263 n.) «Wenigstens nicht erst am 28. October, wie Halm meint: denn Manlius ist schon am 27. von Rom zurück (oder hat wenigstens Nachricht von dem Ausgang der Comitien) und ergreift an diesem Tage offen die Waffen. Der Mordplan des Catilina für den 28. October, welchen Cicero erwähnt, kann somit nicht nach Halm mit den beabsichtigten Unruhen bei den Comitien identisch sein, er fällt vielmehr unter Sallusts allgemeine Bezeichnung c. 31, 4.» Ex omnibus quæ de Catilinæ consiliis apud Ciceronem lego id mihi elucere videtur illum ut consulatus initium quem turbulentum fore prædicabat quodammodo iam in senatu statim fieret a bello civili ideoque utrumque in idem fere tempus caderet instituisse. non cunctari igitur potuit Manlius signum seditionis dare dum iterum C. repellere tur in petitione, ut falso tradit Sallustius 26, 5. 27, 1., qui utrum plurium an unius consulis Ciceronis cædem destinatam esse putaverit difficilis est quæstio, quum quæ in codicibus leguntur post «insidias» vocabula «consuli» vel «consulibus» illius manui non deberi docuerint viri critici.

Accedamus nunc ad *tertiam coniurationis partem* tractandam, de qua S. hæc fere dicit c. 27—32.

Catilina petitione et insidiis parum progressus aperte bellum facere statuit per homines in diversas Italiæ regiones missos. Ipse Romæ graviora et maiora quam antea molitur. conatus Ciceronis clam interficiendi elusus. interea magnæ exoriuntur in Etruria seditiones. Quam ob rem senatus Cicerone referente decernit dent operam consules ne quid detrimenti capiat respublica. glidente periculo armis

et argento contra coniurationem nititur. Quibus rebus ingens fit in urbe trepidatio. Cicero in curia orationem primam in Catilinam habet qui responso feroci dato tamen urbem relinquendam ratus ad Manlium pergit, amicis quæ fieri vult iussis.

Qualis fuerit huius coniurationis partis forma atque natura ipse significare videtur S. quum narrationem eius sic incipiat: 26, 5 «constituit bellum facere et extrema omnia experiri.» Ad hunc finem omnia recurrent quæ parat atque agitat Catilina et nunc demum senatus quoque omnibus viribus cum illo certare refertur. Universa narratio si excipis pauca quæ offendunt clara est rerumque præbet nexum optime inter se cohærentium. Intellego præter locos quosdam faciles emendatu, ea quæ de Manlio Fæsulano et de gladiatoriibus traduntur. Dicitur Catilina Manlium Roma Fæsulas dimisisse quum ex 24, 2 conicere liceat illum Fæsulis habitasse nihilque in præcedentibus monitum sit Romam eum migrasse.¹⁾

Capuæ atque in Apulia servile bellum moveri quum nuntiatum esset decrevisse senatum ut gladiatoriæ familiae Capuam atque in alia municipia distribuerentur legimus apud Sall. 30, § 2. 7.

Quæri hic potest num prudens fuerit consilium gladiatores homines infidos et mobiles ibidem collocare ubi servitia iam exagitata erant. Sed maiores inesse difficultates intellegemus quum quæ Cicero his de rebus tradit contulerimus. Harum gravissima est quod S. consilium in domo Læcæ initum ad id tempus refert quo id fieri non potuisse constat ex Cicerone. Habitum enim est per paulo ante orationem Ciceronis in senatu contra Catilinam dictam. De diebus illis infra accuratius disputabimus. Quod cum multi, imprimis Madvigius (cuius gravem sententiam legas Opusç. Acad. alt. p. 348.) Sallustio vitio habuerint, alii quippe qui negare non possent illa cum vero rerum ordine nullo modo congruere ita scriptorem defendere conati sunt ut dicerent gravem hunc errorem non ex ipsis neglegentia extitisse sed casu factum esse. Hanc emendationis viam princeps ingressus est Linkerus quum emend. p. 263—276 docere studeret, quam vere scripsisset Sallustius rationem transpositione in cap. 27—31 facienda restituì debere eo modo, ut quæ cap. 27 inde a § 3 «Postremo ubi multa agitantि nihil procedit» legimus usque ad capitum 28 § 3 «Ita illi ianua prohibiti tantum facinus frustra suscepérant» insereremus post cap. 31 verba in initio scripta et ipse lege Plautia interrogatus erat a L. Paullo» § 4 fine. Probavit opinionem suam v. d. Ottemæ qui sagacissima dissertatione quam edidit Leuwardi 1855

¹⁾ cf. Linkeri emendat. p. 263.

conatus est explicare quomodo hæc verba in falsum illum locum pervenissent. Censuit enim cum archetypi folium unum errore quodam inter alia dua interseratum esset confusionem illam rerum et temporum natam ac per omnes libros manuscriptos propagatam esse.

His viris doctissimis opposuit se Dietschius et argumentis, quæ etiam nunc mutata opinione placere sibi ipse dicit, firmissimis nixus id maxime repulit quod ad coniecturam suam sustentandam contenderat Linkerus, Plutarchum Appianum Cassium Dionem exemplo belli Catilinarii usos esse quo verus rerum ordo qualem e Cicerone novimus nondum perturbatus fuisset¹⁾; sed quæ præterea ad firmandam codicum auctoritatem protulerat argumenta parum firma esse opinatus ipse in Linkeri partes transgressus est, veritus videlicet ne neglegentia merito Sallustio crimini daretur cf. edit. schol. excurs. II. p. 206.

Singulares igitur partes quod sciam²⁾ agere videor mihi putans Sallustii ipsius esse illud vitium legereque nos Catilinam quod ad ordinem capitum attinet eundem quem edidit scriptor. Demonstrare conabor transpositione illa facta non solum existere quæ non explicari nec excusari possint sed etiam totam quam esse voluit S. rerum dispositionem perturbari.

Sumamus igitur ita ordinasse narrationem auctorem ut censem Linkerus et Ottema.

- Cap. 27, 1. Igitur C. Manlium — 2 fin. neque labore fatigari.
28, 4. Interea Manlius e. q. s. — 31, 4 ipse lege Plautia interrogatus erat a L. Paullo.
27, 3. Postremo ubi multa — 28, 3. Ita illi — frustra suscepserant.
31, 5. Postero die (coniecit Linkerus, postremo codd.) Catilina (voc. deest in mss.) dissimulandi e. q. s.

In his nonnulla habeo quæ reprehendam. verba quæ extant 27, 4 «ibique multa de ignavia eorum questus» nisi præcedunt quæ de Catilina ipso multa agitante alios exhortante dicta leguntur cap. 27 in. apta vix videntur, ea quæ sequuntur verba, «docet se Manlium præmisisse e. q. s.» inculcata in capite 31. prorsus non sunt ferenda; nam diceret tum Catilina sociis quod iam diu novisse poterant; contra quæ paulo ante ipse narraverat Catilinam amicis nuntiantem optime fecit auctor. Non crediderim deinde Sallustium si hæc dicta putasset

¹⁾ Satis habeo ad eam dissertationem qua non habeo quod melioris dem revocasse lectores. edit. a. 1859 proleg. c. III.

²⁾ Conferas tamen Mommsenium in Herm. vol. I. breviter monentem.

paulo ante iter Catilinæ scripturum fuisse «cupere se ad exercitum proficisci» sed potius Ciceronem (in Cat. I. § 9) secutus «se esse exiturum» cf. pro Sulla § 52. «dies exeundi — constituta est.»

Hæc in narratione ipsa transposita mendosa occurunt. sed alia quoque existunt vitia. Omissis illis quæ alio transferenda censem V. D. cap. 27 § secunda et 28 § quarta arctissime altera alteram subsequentes, ab eadem particula «interea» incipiunt. Nihil dico de *παχογωνίᾳ* quamquam quem ad excusandam eam attulit Linkerus locus (Jug. 31, 29) ab hoc alienus est. Nam quæ ut significans oratorem decet sermonis forma eadem non convenit historico dicendi generi. Sed maior inest in his vocabulis difficultas in rebus enarratis posita. Nam si solum hanc particulam respicias ita comparata videtur temporum ratio ut seditio in Etruria facta in idem tempus incidat quo tumultus Romæ excitati et missio Manlii in Etruriam facta. Quod absurdum esse non puto non sensurum fuisse scriptorem nisi interposita illa narratione quo modo res inter se coniunctæ essent eum fefellisset.

Per universum, quantum vidimus, librum auctorem arte quadam et consilio disponere res iam perspeximus. Discrevimus tria coniurationis tempora, quorum in unoquoque S. quæ Catilina ad perficiendum propositum agitat seiungit ab iis quæ ne id patraret ab adversariis fiunt, eo modo ut illa prius commemoret hæc opposita iis adiungat. Eandem rationem scriptorem in hac quoque operis parte sequi videmus, nisi codicum auctoritate neglecta capitum ordinem mutamus. In contrarias partes S. disponit hic quæ Catilina ad evertendam rempublicam suscipit, illic quæ ad sustentandam eam decernunt consul et senatus. Utraque quasi in unum contracta sibi opponuntur verbis quæ legimus 31, 4. «At Catilinæ crudelis animus e. q. s.» Transit deinde scriptor ad narrandum quomodo ut conflictarent utriusque evenerit. Cum hac dispositione apte cohaeret quod Sallustius quare singula coniuratorum consilia frustrata sint ad omnes quos commemorat eorum conatus addere solet. cf. 18, 6. 8. 24, 2. 26, 5. 42, 2 alios. Hoc autem loco nisi servantur verba, «postremo ubi multa agitanti nihil procedit», non certiores fiunt lectores Catilinam quod in animo habebat patrare non potuisse. Et ne dicat quis, recte igitur Linkerum verba, «at Catilinæ crudelis animus eadem illa movebat» coniunxisse cum, «postremo ubi multa agitanti nihil procedit», moneo ad eandem rem spectare videri verba «tametsi præsidia parabantur.» Item infra scriptum est 32, 1. «quod neque insidiae consuli procedebant et ab incendio intellegebat urbem vigilis munitam.»

His quæ exposui argumentis retineor quominus assentiam Linkeri emendationi qua præterea quæ me quidem maxime offendunt narrationis Sallustianæ menda sublata non video. Gravissimus ille scriptoris error quem supra reprehendimus ad summam totius operis pertinens, quod senatus consultum ultimum demum post Catilinæ in petitione consulatus acceptam repulsam et seditionem civilem in Etruria ortam factum opinatur etiam transposita nocturni conventus narratione non tollitur. Accedit quod aliud vitium secum fert remedium ipsum commendatum a Linkero. cap. 31, 5 lectionem codicum omnium «postremo» ita mutat ut scribat «postridie» emendatione quod ad litterarum ductus attinet satis probabili. Sed, id quod Halmius sagacissime docuit, constat orationem primam Catilinarium habitam esse a. d. VI. Idus Nov.¹⁾ «postridie» autem esset a. d. VII. idus Nov. Concedendum est igitur iis qui Sallustium non tantum a recta temporum computatione aberrasse putant certe diem eum verum non tradere. Nos igitur quum quomodo factum sit ut S. hoc quoque loco tempora non servaret intellegere nobis videamus in vulgato capitum ordine persistamus, tale quid haud raro sibi indulsisse hunc auctorem ex præcedentibus memores neque ignari non item ac nos in his rebus minutius diligentes fuisse veteres.

Ad explicanda mira verba «C. Manlium Fæsulas atque in eam partem Etruriae dimisit» 27, 1. sumitur plerumque, illum cum manu Fæsulanorum et Arretinorum ad petentem Catilinam adiuvandum Romam venisse. Sed quominus hæc credam retinet me quod Cicero in Mureniana nihil ea de re monet, quum a consilio eius non alienum sit dicere eundem qui nunc arma patriæ inferret iam tum rei publicæ perniciem machinatum esse. Non puto prætermissurum fuisse Ciceronem exprobrare hoc crimen Manlio audaciæ catilinariæ satelliti.

Dicerem fortasse ex vano sumpsisse hoc Sallustium nisi adderet «Septimium quendam Camertem e. q. s.» De his viris nihil aliunde scimus; non eosdem videtur significare Cic. in Cat. I. 9. II. 6. nam in tales homines obscurò infimoque loco ortos non habebat orator cur nominatim invehi dubitaret. Illos autem de quibus cogitat consul secum in senatu adesse dicit Cat. I. § 9 fin. Res ipsa quin ad veritatem expressa sit non est dubium; sed utrum nomina e memoria an e libro quodam hauserit S. hoc loco dijudicari non potest.

¹⁾ De loco ad definiendum tempus Catilinariæ I. gravissimo qui extat pro Sulla § 52 sagacius quam verius disputavit Mommsenus in Hermis vol. I. quem librum dum hæc scribebam mihi præsto non fuisse valde doleo.

Cum 27, 2 conferas simillimum locum Ciceronis orat. I. § 32, quem ante oculos aut in mente habuisse puto Sallustium.

De concilio in domo Læcae habito similia fere Cicero atque Sallustius memoriae tradit. Sunt tamen quæ differant. Primum annotandum est nihil in hoc concilio si Sallustio credis inter socios convenisse de distributione Italiæ, de cædibus incendiisque in urbe faciendis, quas res tum instituisse Catilinam legimus apud Ciceronem. plura ea de re docebimus ad 32, 2. Quod attinet ad insidias Ciceroni factas hæc monenda sunt: Ciceroneh duo fuisse equites Romanos dicere, armatorum hominum mentionem non facere, Curium conatum sibi prædictisse non fateri. De Curio ad id ablegem lectores quod supra demonstravimus. Vargunteium quem senatorem dicit S. ambitus damnatum senatu motum esse sagaciter suspicatur Halmius coll. Cic. pro Sulla § 6. 17., quod oblitus esse putandus est Sallustius.¹⁾

28, 1. «Constituere ea nocte paulo post cum armatis hominibus sicuti salutatum introire ad Ciceronem» e. q. s. Contendunt viri docti quidam ea nocte «paulo post» vix dici posse pro «mane» «prima luce» quo tempore salutationes fieri solebant, præterea mirum esse coniuratos cum armatis hominibus consulem adire voluisse. Has difficultates ita tollere studuerunt ut excidisse quedam verba post vocabulum «hominibus» censerent quorum argumentum ab Appiano et Plutarcho servatum esset. Lacunam igitur sic fere explendam esse «domum obsidere ipsi mane.» Primum quod obiciunt explicari puto Ciceronis verbis qui I. § 9 «illa ipsa nocte paulo ante lucem», et paulo inferius «quos tu ad me salutatum mane miseras» dicit, quem locum secutum esse Sallustium appetet. Neque alteri quam offerunt rationi tantum tribuam quum armati homines facile oculere potuerint tela. Nunc autem quæritur unde compererit S. armatos secum duxisse illos equites. Scire id poterat auctor ex iis quæ Cornelius postea in iudicio de coniuratione indicaverat, cf. pro Sulla § 51 seq. Sed præter hæc responsa etiam Cicerone ipso ad hanc quoque operis partem usum esse Sallustium appetet ex utriusque locis simillimis hisce:

Sall. 27. 4 seque ad exercitum proficisci cupere si prius Ciceronem oppresisset.

28, 2. Curius-propere-Ciceroni dolum qui parabatur enuntiat. 3. Ita illi ianua prohibiti.

Cie. I. § 9. dixisti paululum tibi esse etiam munc moræ quod ego viverem.

§ 10. hæc ego omnia vixdum etiam cœtu vestro dimisso comperi. 10. exclusi eos.

¹⁾ Contortæ plane sunt quas conciliaturus Sallustiana cum Cicerone excogitavit Hagenus argutias.

28, 4. «Interea Manlius in Etruria plebem sollicitare» e. q. s. coniuratorum generum a Cicerone enumeratorum quum supra primum secundum tertium quartum sextum Sallustium significare invenerimus, hic legimus tales homines ad coniurationis consilia adscitos esse quos cum quinto illo conferre quodammodo possuntus «latrones cuiusque generis.» Qui Sullæ dominatione agros bonaque omnia amiserant Mariani apud Ciceronem nullo loco commemorantur, nisi eos quoque e numero miserorum fuisse putas quorum se caput et fidelem defensorem fore illo ipso tempore profitebatur Catilina cf. pro Mur. § 51. in Cat. II. § 5. 20.

Quæ in duobus sequentibus capitibus 29 et 30 de rebus in senatu actis traduntur quamquam etiam a Cicerone similem in modum narrata tamen non ad illum ut auctorem referenda sed ex senatus consultis et decretis repetita esse videntur. Testimonium huius rei est quod ipsis verbis produntur et afferuntur quædam res quas apud Ciceronem frustra quæsiveris. Is quæ cum Sallustianis conferantur præbet hæc: in Cat. I. § 11. «non publico me præsidio sed privata diligentia defendi» cf. Sall. 29, 1. «privato consilio.»

Portenta atque prodigia se consule multa facta et nuntiata enumerat Cic. III. § 18. cf. etiam de divin. I. cap. 11. 12. Idem in oratione ad populum post Catilinæ egressum habita Quirites certiores facit, Q. Metellum Celerem in agro Piceno et Gallico legionibus scribendis occupatum esse. (II. Cat. 5. 26.) Quæ de seditionibus Capuæ ortis, de periculo a gladiatoriibus imminentि apud Ciceronem legimus in Cat. II. § 26. 7. cf. pro Sestio cap. 4. parum lucis huic Sallustii loco per obscurum afferunt. Vigiliae Romæ habitæ commemorantur etiam Cic. Cat. I. 1. 1. II. § 27. Timorem populi quem tam vividis depingit coloribus Sallustius cap. 31. fuisse re vera comperimus ex Catil. I. § 1.

In his omnibus rebus ut supra dicimus tabellas publicas adhibuisse videtur scriptor et quum deperditi sint alii auctores iudicare non possumus num vera omnia et servato rerum ordine memoriae prodiderit.

De senatu die VI. a. Id. Nov. habito hoc maxime mirum est, Sallustium solum, nisi Appianum auctorem eius rei esse credis quem illum secutum esse apparet, responsum quoddam idque acre et vehementis Catilinæ ad Ciceronis obiurgationes datum tradere. Hanc difficultatem non licet ita eludi ut dicamus Ciceronem rem sibi molestam et incommodam tangere noluisse; nam quæ paria ei obiciebant Catilina et Antonius in orationibus in toga candida et de lege agraria,

quæ Manlius Torquatus in oratione pro Sulla habita palam repellere studet. Movet me præterea ut Sallustio hic quoque parvam fidem habeam quod Catilina postquam a. d. XII. Kal. Nov. senatui atque nobilium factioni se ut plebei caput opposuerat vix nunc talia dissimulandi causa protulisse putandus est. Parum veri simile est finxisse verba quæ leguntur c. 31 § 7 Sallustium, sed eodem modo quo famosum illud de incendio ruinis restinguendo aliunde, ubi aptius id pronuntiavit Catilina, falso hoc traxisse credam, docturum videlicet exemplo fuisse Catilinam cuius rei lubet simulatorem ac dissimulatorem cf. 5, 3. De Catilinæ itinere et comitibus recte monuit Linkerus p. 267 nota 1.

De cap. 32 satis habeo repetere quæ idem V. D. adscripsit p. 266.

« Auf wirklicher Nachlässigkeit scheint es dagegen zu beruhen, wenn Sallust c. 32, 2 erst nach der Rede des Cicero den Catilina unmittelbar vor seiner Abreise zum Heere in einer neuen Versammlung den zu Rom zurückbleibenden Genossen seine detaillirten Verhaltungsbefehle geben lässt, welche doch Cicero eben in jener Rede schon den versammelten Vätern mitgetheilt hatte. Nach der Angabe seiner Berichterstatter waren sie schon zwei Tage zuvor bei der Zusammenkunft im Hause des Laeca bis ins Einzelne bestimmt worden.» cf. Cat. I. § 9. II. 6. III. 14. IV. 13. pro Sulla § 52.

Iam hoc loco monere velim lectores hanc partium distributionem quæ Catilinæ cum sociis convenerat a coniuratis mutatam non esse, id quod eo probatur quod Cicero item in omnibus Catilinariis orationibus h. e. per totum coniurationis tempus de hoc consilio loquitur.



Sequitur nunc *extrema coniurationis pars* cap. 33—47, qua duobus simul modis Catilinarii rem publicam evertere student, bello et insidiis domesticis. Bellum quod a paucis incepum parum apte et diligenter instituitur tumultus publicos non excedit qui per homines militares a senatu quoquoversus dimissos facile continentur (c. 33—36). Insidiæ in urbe factæ coniuratorum neglegentia et socordia parum procedunt et ut detegatur res efficiunt. De bello apud Ciceronem nonnisi singula quædam invenimus quæ cum Sallustianis conferamus et summam illius rei Sallustius aliis ex fontibus hausisse putandus est.

De cap. 31, 1—32 fin. supra diximus, ad cap. 33 parte tertia huius dissertationis redibimus.

«34, 2 Se Massiliam in exilium proficisci». Fuisse eum hoc tempore volgi rumorem a Catilinæ amicis divulgatum discimus ex Cic. orat. II. § 14 «at ille electus in exilium se Massiliam, ut aiunt, non in hæc castra conferet» et 16 «quamquam isti, qui Catilinam Massiliam ire dictitant» c. q. s. Poterat id S. memoria retinere.

34, 3. «Ab his longe divorsas litteras Q. Catulus in senatu recitavit quas sibi nomine Catilinæ redditas dicebat.» Quum addat scriptor «eorum exemplum infra scriptum est» inspexisse ipsas videtur quamquam contendere nolim singula verba accurate eum expressisse. Res autem optime congruunt cum iis quæ Catilina et sentiebat et dictabat cf. pro Mur. c. 25. Sed id singulare est Sallustii quod tum demum illum talia præ se ferentem inducit.

36, 1. «Set ipse paucos dies commoratus apud C. Flaminium Flammam in agro Arretino» de qua re nihil a Cicerone commonemur (cf. Cat. II. 15) «cum fascibus atque aliis imperii insignibus in castra ad Manlium contendit.» Manca et male comparata videatur necesse est Sallustii historia nulla ante fascium mentione facta hæc legentibus, neque satis est breviloquentiam eius excusare; maioris est locus momenti. Ex Ciceronis orat. in Cat. II. 2, 4 cognovimus «parum comitatum» («cum paucis» Sall.) Catilinam ad Manlium contendisse, ex Cat. I. 24. II. 13 præmisisse eum viros cum armis qui eum præstolarentur itemque fasces et alia consulatus imperiique insignia. Non veri simile videtur scriptorem si continuum et singulas

referentem res secutus esset fontem, librum intellego, utraque nullis coniuncta vinculis separatim positurum fuisse. Puto igitur ex Cicerone et haec et illa profecta esse, Sallustium utraque quo rerum ordine inveniebat in narratione intexusse non sollicitum num quomodo cohaerent intellegat lector; vel si mavis credere ad eundem auctorem ad quem commeatus ad Flammam factus referendum esse etiam de fascium comportatione nuntium non recuso, dummodo concedas non omnem coniurationem libro complexum esse illum.

De senatus decretis cap. 36, 2 et 3 enumeratis Sallustium non unicum habemus auctorem. cf. Cic. pro Murena § 84 fine, qui locus gravissimus est ad definiendum tempus illius orationis. «Dii faxint ut meus collega vir fortissimus hoc Catilinæ nefarium latrocinium armatus opprimat, ego togatus hoc — consilio discutiam et comprimam.» Aptum puto huc trahere verba quae extant 42, 1—3 ad hunc locum pertinentia cumque eo apte connexa. Orat. pro Sulla § 53 pauca tantum et incerta de tumultibus in agro Gallico et Piceno ortis audiimus. Hæ seditiones ex relationibus mandatisque legatorum ad senatum notæ fuisse videntur Sallustio. Sed inest in cap. 42 § 3 difficultas quedam. Sallustius (cf. 30, 5. 57, 2.) Q. Metellum Celerem provinciam obtinuisse testatur agrum Picenum quocum coniunctum fuisse tum qui Gallicus dicebatur Senonum cognoscimus ex Cic. II. 5 et 26. Sed falso inde concludit Dietschius (ed. schol. p. 136 n. 3) eidem etiam Galliam citeriorem defendendam obvenisse. Non est igitur omni dubitatione libera huius viri docti conjectura qua coll. Cic. pro Mur. 41, 89, neglecta omnium codicum auctoritate scribens l. 1. «ulteriore.» Sallustii manum restituisse sibi videtur.

In præstanti illa quam *cap. 36, 4—39, 4 de civitatis Romanæ condicione* addere voluit auctor expositione quamquam universa ipsius est eiusque ingenium et animum demonstrat tamen, ut præterea quod eadem omnino hominum genera quæ a Cicerone ut fautores consiliorum Catilinæ afferuntur, etiam in singulis rebus non desunt sententiæ et ipsa verba quibus sciens nesciusue Ciceronem imitatus esse videatur.

36, 4 cui cum ad occasum ab ortu solis omnia domita armis parerent.

36, 5. tanta vis morbi erat quæ uti tabes plerosque civium animos inuaserat.

Cf. in Cat. III. § 26. fin.

IV. § 21. s. fin.

Cf. in Cat. IV. § 6. Latius opinione disseminatum est hoc malum, manavit e. q. s. pro Mur. § 78. Latius patet illius sceleris contagio quam quisquam putat, ad plures pertinet.

37, 5. ei Romam sicut in *sentinam* confluxerant.

39, 4. neque illis si victoriam adepti forent diutius ea uti licuisset quin defessis et exanguibus qui plus posset imperium atque libertatem extorqueret.

O. Cat. I. § 12 exhaustur ex urbe — magna et perniciosa *sentina* rei publicæ. II. § 7. o fortunata rempublicam si quidem hanc *sentinam* urbis eiecerit. cf. etiam pro lege agr. II. § 70 fin.

Cic. in Cat. II. § 19 non vident id se cupere quod si adepti sint fugitivo alicui aut gladiatori concedi sit necesse.

Quo loco respecto nescio an non recte suspicatus sit Dietschius (ad 1. l.) Sallustium quum scriberet «qui plus posset» Pompeium in mente habuisse, quem apertius significaturus fuisset.

Cum Sall. 38, 3. conferre licet Thucyd III. c. 82 § 8.

Venimus nunc ad tractandas eas res quas a coniuratis in urbe relictis ad adiuuanda Catilinæ consilia factas esse legimus cap. 39 fine 40 seq.; qua in narratione collata cum antecedentibus nihil desideratur nisi quod tempora in quibus singula eveniebant accuratius tradere debebat scriptor. Pauca sunt quæ de his rebus ex Cicerone passim dispersa colligere possumus.

De A. Fulvio nihil narratur. Umbrenum comperimus ex Cat. III. c. 6 § 14 libertinum fuisse hominem a quo primum Gallos ad Gabiniū perductos esse constabat. Idem testatur cum illo in sollicitatione Allobrogum versatos esse P. Furium et Q. Annium Chilonem quos quod hoc loco nominare prætermisit non est vituperandus Sallustius. Non debet addubitari fides narrationis Sallustianæ eo quod Cicero has res silentio præteriit tantum non omnes. Habebat certe cur Semproniæ uxori D. Bruti amici et optimatis parceret. Eadem ob causam non credam domus Semproniæ mentionem factam esse in indicio Gallorum quod scriptum evolvavit consul, sed comperisse id Sallustium ex rumore quoddam vel audiisse ab æqualibus illorum temporum. Unde scierit P. Umbrenum quod in Gallia negotiatus erat commercio usum esse cum Allobrogum principibus dicere nequimus. Quæ eum cum barbaris in foro Romano 40, 2 loquentem inducit ipsum ad imaginem veritatis depingere studuisse non est quod multis probem. Non minus finxisse videtur auctor sermonem Umbreni cum Gallis factum coram Gabinio. Per se mirum est homunculum obscurō loco ortum egisse cum principibus illis et iam tum primo statim visu nondum cognitis illorum animis nomina sociorum indicata esse; contra id postea demum per Cassium factum esse cognoscimus ex indicio Gallorum apud Ciceronem pro Sulla § 36 seq. citato, ex quo plura huc traxisse Sallustium apparent.

Sall. 40, 1. eosque si possit impellat ad societatem belli.

40, 6. quo maior auctoritas sermoni inesset. Eo præsente aperit coniurationem, nominat socios.¹⁾

Sallustium earum rerum quæ Umbrenus cum legatis egerat nihil fere compertum habuisse vel ex vana illa et inani voce «deinde eos pollicitos operam suam domum dimittit» collendum esse videtur; promisso illos equitatum se in Italiam missuros esse scimus ex Cic. Cat. III. § 9; sed hæc consilia cum Lentulo Cethego Statilio Cassio communicaverunt Galli, non cum Umbreno et Gabinio.

Quod ex Cic. orat. de domo sua 42, 134 constat Ciceronem per L. Licinum Murenam consulem designatum de consilio coniuratorum adsciscendi Allobroges et de horum bono erga rem publicam Romanam animo certiore factum esse, Sallustio narranti quomodo hæc Lentuli aliorumque incepta percrebuerint fidem non abrogat quamquam nihil aliunde de Fabio docemur et Cicero in Cat. III. 2, 4 totam hanc rem silentio præterit verbis «ut comperi.» Nam ipse hic locus ostendere videtur non accurate res ut erant referre voluisse consulem. Nam non tum tandem quum Volturcius et legati ad Catilinam profecturi erant illi hic nuntius adlatus est. Ex Ciceronis igitur silentio concludere nobis non licet incredibilia esse quæ S. 41, 5. 44, 1 dicat, eo minus quo magis perspicuum est cur tum earum rerum nihil protulerit orator.

Ex illis quæ supra adscripsimus Tullii verbis apparere videtur indices in senatu nominatos non esse. Ex aliorum igitur ore audiisse alia quæ narrat, de aliis ipsum ex rebus postea factis conjecturam cepisse putandus est Sallustius. Hoc se ita habere videmus coll. 41, 1—3 nec minus 41, 5 quocum loco Ciceronis verba simillima (III § 4) «ut tota res manifesto deprehenderetur» (cf. etiam § 17) comparari licet.

De consiliis factis insidiisque paratis legimus cap. 43. Hic mirum est queri Cethegum socios «dubitando et dies prolatando magnas opportunitates corrumpere» quum in præcedentibus nihil tale commemoratum, sed consilium in certam diem definitum esse legimus. Maior etiam fit difficultas quum hæc verba cum Cicerone conferimus qui in Cat. III. § 10 hæc habet: «Hanc autem Cethego cum ceteris controversiam fuisse dixerunt quod Lentulo et aliis Saturnalibus cædem

Cic. § 36. quia qui barbaros homines ad bellum impelleret.

§ 37. cum auctoritates principum coniurationis ad incitandos animos Allobrogum colligeret Cassius.

²⁾ De iis quæ sequuntur „præterea multos cuiusque generis innoxios quo legatis animus amplior esset“ dicemus cap. III.

fieri atque urbem incendi placeret, Cethego nimium id longum videtur, quod quin vere indicauerint Galli dubium non est. Augendo hæc et ornando coloribus ex suo ipsius ληχύθρῃ, ut hoc utar vocabulo, sumptis S. accuratius ingenium moresque Cethegi descripturus imaginem rerum plane falsam expressit. Non agebatur enim in concilio principum coniurationis de prolatanda sed de maturanda re. Manifestius apparebit falsa referre de Cethego Sallustium si recte suspicor consilium illud quod narratur cap. 43, § 1—2 initum esse monente Cethego. De insidiis relictorum in urbe Catiliniorum loquitur Cicero locis hisce: in Cat. III. § 10. 17. pro Mur. 85. in Pis. 15. pro Plancio 98. 90. pro Sulla 31. pro Flacco 95. 102. Et ea quoque quæ apud Sallustium legimus apud illum non frustra quærere; consilium quoddam in diem saturnalium destinatum significat Cat. III. § 10 quem locum supra laudavimus et § 17 «non ille nobis Saturnalia constituisset neque *tanto ante* exitii et fati diem rei publicæ denuntiavisset.» Id cum Sallustianis et rebus et verbis non congruere luce clarius est. Videtur tamen Ciceroni notum fuisse etiam illud consilium quod L. Bestia tribunus plebis contione habita præparare debebat, licet quæ significat pro Sulla § 31, ad quem locum conferas quæ monuerunt scholiastes et Garatoni, non satis manifesta sint. Videntur Galli de ea quidem re non habuisse quæ confiterentur. Legimus apud Sallustium 43, 2 «Statilius et Gabinius — ad Catilinam erumperent.» Indicavit hæc Volturcius in senatu «a P. Lentulo se habere ad Catilinam mandata et litteras ut ad urbem quam primum cum exercitu accederet» e. q. s. (Cic. in Cat. III. § 8.) Videtur idem exposuisse quem ad modum urbs ad cædem et incendia descripta atque distributa esset, sed res est incerta quum constet hæc Ciceronem tum aliunde scire potuisse tum partim re vera comperisse. Sed utut hæc sunt apparent Sallustium hoc quoque loco haud satis accurate narrare. Verum de L. Bestia tradere videtur (de eo silere Ciceronem non est quod miremur) et de filiis familiarum, sed falsa sunt quæ de Statilio et Gabino, pro quibus nominandus erat Cassius (cf. Cic. III. § 14) et de eruptione ad Catilinam facienda, de qua omnino agi non poterat exponit. Ne ex tabulis publicis eum sumpsisse sua putes adiecta sunt «set ea divisa hoc modo dicebantur» qua dicendi forma uti solet quum varios hominum sermones repetit. Totum hoc consilium paulo ante egressos Allobroges ex urbe initum esse maturato illo in Saturnalia facto apparent ex Sall. 47, 1 quocum non pugnat Cic. Cat. III. § 4. «docet se paucis ante diebus» e. q. s.

Summam earum rerum quæ continentur Sallustii *cap. 44—47* si contuleris cum Ciceronis relatione ad populum facta (Cat. III. *cap. 2—6*), facile intelleges ita utrumque inter se congruere auctorem ut alterum alterius vestigia secutum esse appareat. Sunt tamen differentiæ quædam. Prætermisit plura minus gravia iudicans Sallustius, narrat quædam quæ apud Ciceronem non inveniuntur, in iis etiam de quibus Ciceronem testem habemus non semper prorsus cum eo consentit. Prætermissa nobis quoque prætermittenda, de aliis pauca annotabimus, nihil earum rerum monituri quas pariter uterque tradit.

Inter Ciceronem et legatos commercium fuisse Sallustius solus testatur (44, 1. 45, 1.) Rem veri similem esse appetet ex iis quæ supra docuimus. Suadente consule postulant necnon accipiunt legati ab coniuratorum principibus, ut narrat S. 44, 1. iusiurandum quod *signaturem* ad cives perferant.» Cum his verbis cf. Cic. III. § 9, qui locus fons eorum est, «iusiurandum sibi et litteras ad suam gentem data esse dixerunt» et quominus putes iusiurandum in litteris scriptum fuisse legas I. l. § 10 Cethigi epistolam. Dua ex his docemur, primum, Sallustium non tabulis publicis hoc loco usum sed Ciceronem secutum esse unum; deinde, nimiæ brevitati studentem falso eum reddere quæ recte tradita erant.

Cassium similiter ac S. etiam Cicero a ceteris dividit coniuratis III. § 9, sed de itinere eius nihil tradit; tamen ex III. § 14 «atque idem hoc decretum est in L. Cassium» concludere licet eum cum legati capti sunt Romæ non fuisse.

Litteras Lentuli ad Catilinam datas servarunt nobis et Cicero III. § 12 et Sallustius *cap. 44*, § 4—6. Plane assentio argumentis quibus Hagenus Halmius Dietschius probarunt proprius a vero abesse a Cicerone datum exemplum quod adornatum ex illo Sallustius repetierit. Eodem modo usus est indicio quod Volturcius de mandatis Catilinæ professus est.

Sall. 44, 6. cum ab senatu hostis indicatus sit quo consilio *servitia repudiet?*

Cic. III. § 8. ut servorum præsidio uteretur ut ad urbem quam primum ne cunetur ipse proprius accedere.

De L. Valerio Flacco et C. Pomptino prætoribus cf. præter locos supra laudatos etiam pro Flacco § 102, de provinc. consul. § 32. Cætera omnia optime congruunt et quæ parua inest verbis «cito cognito consilio» Sall. 45, 3. difficultas ea tolli potest. (cf. Halmii et Dietschii annotationes.)

De Volturcio cum sileat Cicero discernere non possumus num omnia recte se habeant quæ nescio unde cognita refert S.

Bene defendisse videtur Dietschius Sallustium a Drumanno (v. p. 491) vituperatum quod animi agitationibus depingendis nimis deditus Ciceroni meditationes tribuisset neque loco neque temporis aptas. Non certe aliena sunt a Tullii ingenio atque moribus quæ secum reputantem eum facit Sallustius. Nostra magis interest intelligere sua e conjectura id finxisse auctorem. Sed ne retineam opinionem meam ad hoc animadvertis velim, nonne si Ciceronis ipsius legitis relationem tempus illi defuisse putetis talia diutius cum animo suo volvendi.

Apud Sallustium quidem qui præterit dicere *statim* perductos esse ad consulem coniuratos eodemque venisse civitatis principes quibuscum de summa republica agebat ille, tale non obstat impedimentum.

Inter coniuratos quos ad se vocavit consul nominatur a Sallustio solo Cæparius Terracinensis, «qui in Apuliam ad concitanda servitia proficiisci parabat» 46, 3. Auctum quidem in his verbis idem inesse puto quod Cicero III. § 14 tradit «in M. Cæparium cui ad sollicitandos pastores Apuliam attributam esse erat indicatum.» Is «paulo ante domo egressus cognito indicio ex urbe profugerat» Sall. 46, 4. Ea de re idem fere dicendum est quod supra ad 44, 1 de L. Cassio monuimus. Sed paulum a veritate deflectere verba § 4 scripta «ceteri sine mora veniunt» intelleges coll. Cic. III. § 6, «tardissime autem Lentulus venit.» Hoc vitium, si ita dici potest quod narrationem totam non tangit, explicari et si vis excusari potest brevitatem qua S. quasi summam universæ rei solam ante oculos ponere studet. Sed idem studium in sequentibus verbis «Volturcum *cum* legatis introducit» ut rem prorsus falsam narraret effecit, id quod non fefellisset eum nisi leviter percurrisset Ciceronis orationem qui § 8 diserte dicit Volturcum *sine* Gallis introduxi.

Cetera quæ fine capitinis 46 refert auctor et suis ipse oculis videre potuit cum opera data consul quam maxume manifesto deducendos curaverat coniuratos ut ostentaret detectum esse facinus (cf. in Cat. III. § 8. 21.), et apud Ciceronem iisdem fere verbis expressa invenit quæ ipse repetit.

De Volturcio Cicero narrat § 8 «quum vix se ex magno timore recreasset» e. q. s. Quæ de eo narrat Sallustius «primo fingere alia dissimulare de coniuratione e. q. s. 47, 1. manifestum est ad Cice-

ronis verba referenda non esse, sed alio præter illum auctore usum esse Crispum necesse est. Cognoscere has res potuit ex senatus tabulis vel ex iis quæ inde percrebuerant. Verborum «omnia uti gesta erant» (Sall. 47, 1) sensum recte explicavit Dietschius. Idem V. D. sagaciter annotavit «eadem Galli fatentur» § 2 a vero nonnihil abesse (cf. locos quos adscripsimus ad c. 40. § 6). Tam incerto modo scribere cogitur auctor eo quod quæ gravissima erant Gallorum indicia in narratione sua iam intexuerat. Id ante me editores et Ciceronis et Sallustii viderunt et notaverunt, sed magnum quoddam Crispianæ historiæ vitium oculos eorum fugisse videtur. Velim conferas cum

Sall. 47, 2. «ex libris Sibyllinis regnum Romæ tribus Cornelii portendi» e. q. s.

Cic. III. § 9 et 19 quem locum cum cum attente perlegeris intelleges numquam haruspices respondisse illum annum fatalem fore. Sunt fortasse qui ita narrationem expedire conaturi sint ut dicant Lentulum ut deciperet Allobroges, homines ut sunt Galli religiosissimos, quæ ipse fore sperabat (cf. Cic. IV. § 12) auctoritate interpretum sacrorum auxisse, sed mihi quidem elucere inde videtur Sallustium non ipsa indicia scripta ante oculos habuisse sed ex Cicerone excerptis, ita ut quæ de haruspicum responsis tradit orator falso coniungeret cum Lentuli iactationibus. Non minus graviter vituperandus videtur S. quod narrat fin. cap. 47 «etiam Q. Cæparium, nam is paulo ante ex fuga retractus erat.» Hoc ex vano eum sumpsisse appareat. Nam ut absentis in senatus decreto quod recitat Cicero coram populo Cæparii mentio fit. III. § 14. Quum ex or. pro Sulla § 33 sciamus quinque necatos esse coniuratos veri simile est ante Non. Dec. captum esse Cæparium sed non eodem die quo cæteri (cf. Dietschium p. 146.) Quod de mutatis hominum animis detecta coniuratione exponit auctor cap. 48 init. ut ab aliis non commemoratur ita testimoniis non eget; firmari tamen videtur iis quæ legimus in Cat. IV. § 14. Cum iis quæ de vitæ plebei condicione dicuntur cf. in Cat. IV. § 17. pro Sulla § 32.

De Tarquinii indicio S. 48, 3. alio loco dicemus. Hic digito solo rationem monstrare volo qua Sallustius res incertas et hominum rumoribus agitatas in medio relinquat ita ut verbis arte quadam dispositis utram sententiam a pluribus creditam et probandam putet doceat. Non dubito quin ita se habuerint res quas de Tarquinio narrat, sed

nescio an perturbarit tempora. «Post eum diem» Dietschius qui confert «post diem tertium» idem esse putat quod «postero die», sed dum testimonii coarguar sic explicari posse hæc vocabula nego et Sallustium longius intervallum falso posuisse sumo inter indicia et damnationem. Accedit quod «paulo ante» 50, 4 non facile de die hesterno dici potest.

In hoc intervallo legatis et Volturcio præmia decreta esse, ut tradit Sall. 50 in. commemorat etiam Cic. Cat. IV, orationis Non. Dec. habitæ, § 5 hæc senatores commonens: hesterno die præmia legatis Allobrogum Titoque Volturcio dedistis amplissima. cf. § 10. «comprobato eorum indicio» addidit Sallustius iure sine dubio; diserte id a senatu decretum esse non credam neque Cicero eiusmodi consulti mentionem facit III § 14. IV. § 5. De sollicitatione Catiliniorum Cicero IV. § 17 satis leviter et ut despiciens eam agere videtur, sed periculum fuisse in mora videmus ex iis quæ ipse dicit eiusdem orationis § 6 «statuendum vobis ante noctem est» et paulo inferius «celeriter vobis vindicandum est.» Negari igitur non potest magis ad veritatem Sallustium depingere rerum statum. Singulas res ab eo narratas a Graecis huius coniurationis scriptoribus repetuntur qui num præter Sallustii etiam alias nitantur auctoritate non meum est nunc examinare. Hic id solum monere velim lectores «vexare rempublicam» Sall. 50, 1. legi etiam apud Ciceronem in Cat. I. 10, 27.

Quod periculum ut depelleret consul, pergit narrare S. «dispositis præsidiis — convocato senatu refert quid de eis fieri placeat qui in custodiam traditi erant.» Hæc optime congruunt cum iis quæ legimus in Cat. IV. præsertim § 14. Etiam verba «refert — erant» firmantur IV. § 6, ad quem locum accommodanda esse puto quæ docet Halmius p. 19, nota 94: «Ist die Rede später abgefasst, so erklären sich auch noch einige andere eingebildete Anstösse, so das Vorkommen mehrerer Stellen, die man eher in einer Eröffnungsrede des referirenden Consuls (relatio im engern Sinne) erwarten sollte. Wie Cicero die Rede niederschrieb, sollte sie eben als ein in sich geschlossenes Ganze in dem corpus orationum invectivarum erscheinen, nicht als das abgerissene Stück einer vermittelnden sententia aus der Mitte der Be-rathung.» Et non repelluntur iis quæ ad Att. XII. 21 scripta sunt «quod denique ante quam consulerem ipse iudicaverim.» Cur orationem quartam Catilinariam silentio præterierit S. ultimas huius libelli parte demonstrabimus. Contra minus certa videntur quæ sequuntur «sed eos paulo ante frequens senatus iudicaverat contra rem publi-

eam fecisse.» 50, 4.¹⁾ Hoc loco sane ex Ciceronis silentio concludere licet falsum esse quod tradat Sallustius, nam si re vera factum esset senatus consultum quod ipse tradit opus non erat Ciceroni repetitis illis quæ III. a. d. Non. Dec. facta erant dicere IV, 5 «quæ sunt omnia eiusmodi ut ii qui in custodiam nominatim dati sunt sine ulla dubitatione a vobis damnati esse videantur.» Neque timeo ne mihi opponatur ille locus (in Cat. IV. § 10), quo Tullius sophistarum modo impugnat Cæsaris sententiam. Recte iam Halmius, cuius conferas præclaram annotationem, sensisse videtur futurum fuisse ut Cæsar, si iudicati essent reipublicæ hostes Catilinarii, omnino ad legem Semproniam provocare non posset. Immo puto hanc esse erroris Sallustii originem qui facilis erat evitatu, quum non ita longe post (§ 22) hostes patriæ etiam cives perditos dicat orator. Quod si vere moneo concedendum est gravissimum hoc esse ad firmandum iustum illud iudicium quod de damnatione Catilinariorum pronuntiavit V. D. Theodorus Mommsen in hist. Rom. v. III. p. 176 seq.

Silani votum legimus apud Cic. in Cat. IV. § 7. Non videtur id pluribus prosecutus esse verbis auctor (cf. Halmium p. 88. 7), sed quæ addita sunt «alter eos — usurpatum recordatur» Ciceronis esse et sententias et verba.

De sententia Tiberii Neronis ambigunt inter se V. D. Per Sallustium enim certiores non facti sumus quo tempore ea lata sit et conicere solum possumus locutum esse illum post Ciceronem, qui ad Cæsaris et Silani vota sola respicit § 7 et ante Catonem. Huic rei non contrarium est quod legimus Cic. IV. 14. «Jaciuntur enim voces quæ perveniant ad aures meas eorum qui vereri videntur ne non habeam satis præsidii ad ea quæ vos statueritis hodierno die transigenda.» Nam quum per se fieri potuerit ut tales metus esse e senatorum fremitu cognosceret consul, tamen magis mihi arridet Halmii aliorumque sententia sumentium hæc ut nonnulla postea demum addita esse orationi ab Cicerone corpus invectivarum Catilinariarum edituro. Sallustii de Neronis voto narrationem præfero illi quam ex Appiano II. 5 (p. 589, 15 B.) qui falso ante Cæsarem dixisse Neronem tradit, repetierunt Halmius et Dietschius nescio qua ratione ducti veri similiorem iudicantes.

Sequitur cap. 51. C. Cæsaris oratio.

Qua non ipsa oratoris verba ut dicta erant expressa esse quum per se credendum est tum confirmatur collatis iis quæ ex illa excerpta

¹⁾ Non ad id decretum respicere videtur hic Sallustius quod commemorat 30, 6.

legimus apud Ciceronem (Catilin. IV.) Suetonium Plutarchum. Ego quidem mihi persuasum habeo non aliam eius orationis notitiam habuisse Sallustium quam quæ ex Ciceronis responsis sumi vel ad aures eius illis ipsis diebus pervenire posset.

Iam ab aliis monitum est orationis initium idem esse quod Demosthenis περὶ Χερονῆσον dicentis nec facile adducor ut credam Cæsari qui orator erat summæ laudis ut flosculis ab aliis decerpatis sua ornaret opus fuisse, sed Crispo censeo hoc imputandum esse.

Idem fere iudicium etiam in initium orationis Catonianæ transferri potest.

Iam Dietschius suspicatus est § 5 verba «ne quis divitiarum — inceptum diceret» sententiam repetere videri quam M. Porcius Cato Censorius in illa oratione quam pro Rhodiis habuisse narratur apud Gellium N. A. VI. 3 exprompsérunt. Quum autem constet lectitasse illum Catonis opera totum hoc exemplum ex Catone sumptum esse satis probabile est. Quod 51, 5 verba «impunitos eos dimissere» cum rebus factis parum convenient non vitio est vertendum Sallustio, cuius animus amore patriæ obcæcatus erat. Quæ § 9 et 10 extant iam Linkerus animadvertisit ad Ciceronis orat. IV. § 11—12 referenda esse. Nullius igitur momenti est quod dicit Cæsar Sallustianus: «Plerique eorum qui ante me sententias dixerunt.» Id eam ob causam non monere nolui quod facile inde falsi quid de votis consularium concludere posset aliquis. Se opponens Silano Cæsar apud Sall. § 19 dicit: «de timore — armis sint.» Dicere hoc potuisse Cæsarem quis est qui neget, sed non minus certum est Sallustium ex Cic. IV. 14 hæc verba ei subdere potuisse. Non adsentio igitur Dietschio putanti Cæsarem his verbis carpere voluisse consulem ut nimis timidum et studiosum. Sequuntur verba «De poena possum» e. q. s. His mira quædam similitudo est cum Cic. Cat. IV. § 7 «alter intellegit mortem» e. q. s. Si vera sunt quæ ad priorem huius § partem supra p. 44 Dannotavimus hic quoque non Cæsaris verba sententiam suam firmantis legimus sed Ciceronem audimus qui ut votum illius repelleret argumentum ei falsum et quod Cæsare non dignum sit supponit. Oculos verte ad vocabulum «intellegit» quod eodem sensu legitur Cat. IV. § 10 de quo loco videas quæ disputavimus p. 44.

Numero scriptorum Græcorum quos imitatum esse Sallustium supra vidimus addendus est Xenophon qui de triginta tyrannis Hell. II. 3, 12 simillime agit ac Cæsar.

Etiam illa verba «profecto virtus» etc. § 42 quæ ut præ ceteris e Cæsaris animo dicta laudat Dietschius vereor ne ex Cic. de imp.

Cn. Pompeii § 12 sumpta sint. Mihi quidem præsertim ea quæ de proscriptionibus Sullanis dicuntur § 32–36 Cæsaris moribus et ingenio apta esse videntur.¹⁾ Cæsarem ad leges Porcias et Semproniam provocasse scimus ex Cicerone, qui autem pauca et parum accurata de iis dicit, nihil videlicet habens quod opponat Cæsari.

Votum Cæsaris quod legimus apud Sallustium § 43 ad verbum auctoris ipsius expressum esse videtur in actis senatus servatum. Minus accurate Cicero id recitat ex quo tamen discimus addidisse poenas Cæsarem municipiis «si quis vincula captorum fregerit.» Idem S. inesse putavit, ut conicere debemus, verbis «quæ maxime opibus valent.»

Sed non magis quam Cæsaris ante oculos habuisse putandus est scriptor orationem Catonis. Quæcunque de ea legimus apud Ciceronem pro Sestio § 12 et 61, ad Att. XII. 23, ex qua epistula concludere possumus Bruti laudationem secutum non esse Sallustium, et auctores inferioris ætatis Vell. Patrculum II. 35, Plutarchum Cat. min. 23 paucis solis locis cum Sallustio consentiunt. Discimus ex iis Catonem ante omnia de periculo reipublicæ imminentि egiisse et consulem summis laudibus ad cælum tulisse. De illa re pauca et Ciceronianis persimilia, de hac nihil dicit Cato Sallustianus. Sed universæ illius in mores optimatum declamationis mentio non fit apud alios. Eam non alienam esse a Catone concedo sed num temporibus apta sit valde dubito. Reprehendam præsertim § 29 «non votis neque suppliciis muliebribus auxilia deorum parantur.» Id Cato in senatu dicere non potuit qui princeps fuit honoris consuli decernendi. Perductus studio illo quod pluries animaduertimus eo est progressus auctor ut Catonem Ciceronis laudibus obtrectantem facere.

Alio modo a veritate aberravit S. § 30, quem locum repetitum videri ex Cic. orat. pro Sulla § 32 recte sensit Linkerus p. 277. Ad hanc quoque operis partem conficiendam usum esse Cicerone Sallustium alia sunt testimonia haec: § 13 cf. Cic. IV. § 8 de quo loco quid sit iudicandum appareat ex iis quæ monuimus ad 51, 20; cum § 15 cf. Cic. IV. § 6. pro Sulla § 28 et 53; cum § 35 cf. Cic. I. 2 § 5, de quo argutius quam verius disputavit Linkerus l. l.

Graecos hic quoque imitatus est Sallustius. Demosthenis Olynth. tertiam initio orationis, Thucydidis II. 83, 3 ad § 11.

Quod attinet ad § 33 qua dicitur Cethagus iterum tum patriæ bellum fecisse scimus illum in Hispania contra Metellum gladium destrinxisse. Id nescio an hoc trahendum sit. Minorem certe veri


¹⁾ Cf. præterea § 8. et 18. genus poenæ novom decernere.

similitudinem habet quod suspiciuntur sunt Hagenus et Dietschius, Cethemum etiam prioris coniurationis participem fuisse. Votum Catonis § 36 et ipsum ex tabulis publicis sumptum puto.

De *ultimis libelli capitibus* breves esse possumus quum de rebus ibi narratis non habeamus quem conferamus aequalem scriptorem. In eorum fidem alio loco collatis auctoribus aetatis posterioris Latinis et Græcis inquirendum erit. Satis hic habeo monere aquilam illam Marianam quam secum habuisse dicitur Catilina cap. 59, 3 commemorari etiam ab Cicerone in Cat. I. § 24 II. § 13. Eodem modo quo Petreius milites cap. 59 § 5 hortatur ut meminerint «se contra latrones inermes» e. q. s. certare Cicero oratione II et III ad populum de coniuratorum exercitu loquitur.

De Catilinæ morte pauca quædam legimus apud Ciceronem pro Sestio cap. 5 § 12.





LIBRARY OF CONGRESS



0 003 096 836 0



LIBRARY OF CONGRESS



0 003 096 836 0

